This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

PA
1113
S39

THE BOPP LIBRARY.

COLLECTED BY FRANZ BOPP,
Professor of Comparative Philology in the
University of Berlin.

Purchased by Cornell University, 1868.

3091

Digitized by Google

Cornell University Library
PA 143.S39
Ludovici Schwabei De deminutivis Graecis
3 1924 021 599 604
olin
Digitized by Google

Digitized by Google

LVDOVICI SCHWABEI

PHILOSOPHIAE DOCTORIS

DE DEMINVTIVIS GRAECIS ET LATINIS LIBER

GISSAE

APVD I. RICKERVM

A. MDCCCLIX

1859

Digitized by Google

~~175 D 34~~

CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

DE DEMINVTIVIS GRAECIS ET LATINIS

INDEX

CAPVT PRIVS

pag.

DE VSV DEMINVTIVORVM . 1—28

I DE SIGNIFICATIONE DEMINVTIONIS . 1—21

1 Quid sit deminutiuum 1
2 Deminutio propria : μείωσις 3
3 Quo sensu deminutiuis adiectiua minuentia addantur . . 4
4 Deminutio blanda : ὑποκορισμός 6
5. 6 Hypocoristica Graeca et Latina 8
7—9 Hypocoristica ceterarum linguarum cognatarum . . 12
10 De singulari quodam hypocorismi usu 16
11 Deminutio contemptim usurpata : καταφρόνησις . 17
12. 13 Cataphronetica linguarum Indoeuropaearum . . . 19

II QVAE ORATIONIS PARTES DEMINVTIONEM RECIPIANT 21—28

14. 15 De nominibus et adiectiuis deminutiuis 21
16 De pronominibus 23
17 De aduerbiis 25
18 De uerbis 26

CAPVT ALTERVM

DE FORMATIONE DEMINVTIVORVM 29-103

I CONSPECTVS FORMATIONIS DEMINVTIVÆ GRAECAE ET LATINAE . . . . 31—77

II DE DEMINVTIVIS IN ALO EXEVNTIBVS 78—95

III DE DEMINVTIVIS IN XILLO EXEVNTIBVS 96-103

Digitized by Google

Corrigenda.

p. 5 lin. 15 lege *mollicellas*.
„ 10, 5 dele u. *Φάνυλλος*.
„ 12, 15 dele uocc. *quo de* usque ad *disputabo*.
„ 14, 22 *vezzeggiativi*.
„ 17, 32 *Πριαμιλλύδριον*.
„ 22, 16 *αἱμύλος*.
„ 23, 26 lege *reperias*.
„ 27, 20 lege *per C*.
„ 33, 24 lege *Αἰσχύλος*.
„ 42, 22 dele exempla *auricilla oscillum penicillus*.
„ 45, 13 lege *adfigitur*.
„ 48, 27 pro *A E I O V* legendum *A E I V*.
„ 51 quinque lineae ab undeuigesima usque ad uigesimam tertiam (*Aetatibus — 333.*) post lin. 14 *mollior sit* scribendae sunt.

aliquotiens pro *nr.* 28 legitur *nr.* 27, u. c. p. 62, 25. 28 p. 63, 19 p. 64, 4.
p. 64, 10 lege *pars aut in comica poesi*.

Digitized by Google

CAPVT PRIVS

DE VSV DEMINVTIVORVM

I DE SIGNIFICATIONE DEMINVTIONIS

1 Deminutiuum quid sit ueteres technici non ignorarunt. iam Aristoteles Rhetor. III 2 extr. haec docet '*ἔστι δ' ὁ ὑποκορισμὸς ὃς ἔλαττον ποιεῖ καὶ τὸ κακὸν καὶ τὸ ἀγαθόν, ὥσπερ καὶ ὁ Ἀριστοφάνης σκώπτει ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις ἀντὶ μὲν χρυσίου χρυσιδάριον*'. et Dionysius Thrax p. 635 Bekk. '*ὑποκοριστικόν*' inquit '*ἐστὶ τὸ μείωσιν τοῦ πρωτοτύπου δηλοῦν ἀσυγκρίτως, οἷον ἀνθρωπίσκος λίθαξ μειρακύλλιον*'. Graecorum technicorum pedisequi, Latinae grammatices dico auctores, illorum simillima protulerunt. et Varro quidem quamquam aliquotiens de genere minuendi uel de magnitudinis uocabulis disserit de LL. VIII § 52 p. 116 § 79 p. 123 IX § 74 p. 145, tamen eorum notionem ac uim accurate non circumscribit : contra apud grammaticos aetatis posterioris definitiones reperiuntur conplures. Diomedes enim p. 310 docet '*deminutiua sunt quae cum deminutione absolutorum nominum fiunt sine ulla conparatione*'. eadem fere non nullis aucta Charisius qui alibi quoque Diomedem excerpsisse uidetur (cf. Osanni beitr. z. lit. II 319 ss.) praebet p. 128 P. '*sunt deminutiua quae ab absolutis nominibus adiecta in nouissima parte aut littera aut syllaba capiunt deminutionem sine ulla conparatione*'. cf. praeterea Incert. auct. fragm. in Anecd.

Digitized by Google

Eichenf.-Endl. p. 80. Priscianus autem quo nemo nec Latinus nec, paene dixerim, Graecus accuratius et diligentius de deminutiuo disputauit breuissime p. 609 '*deminutiuum est*' ait '*quod deminutionem sui primitiui absolute demonstrat, ut rex regulus i. e. paruus rex*'.

In his definitionibus, etsi adparet nullam absolute ac perfecte proprias deminutionis potestates conplecti, tamen facile adquiescimus, cum definitio omnibus numeris et partibus expleta non prius dari possit quam natura motionis, ut uerbo Lobeckiano utamur, hypocoristicae bene perspecta et cognita sit. quam ob rem statim liceat nobis ad VSVM DEMINVTIONIS explicandum progredi. quo munere optime fungi mihi uideor ita ut ab interpretatione utriusque nominis deminutionis Graeci et Latini initium capiam.

2 'Deminutio' igitur Romanorum quo sensu dicta sit neminem fugere potest. cum *rex* sit *βασιλεύς* et '*regulus*' regem paruum significet, Romani intellexerunt in *regulo* subiectum utriusque nominis extenuatione quadam quam *μείωσιν* Dionysius Thrax l. c. adpellat esse adfectum. inde quoniam *deminuere* idem ualet ac Graecorum *μειοῦν* uel *ἔλαττον ποιεῖν*, quo uocabulo Aristoteles l. c. utitur, nomen deminutiuorum ortum est. — haec uis deminutorum uocabulorum quae nomine Latino clare et distincte exprimitur principalis fuit unde ceterae eorum significationes deflexae sunt. — uideamus quae grammatici referant. Stephanus Dionysii Thracis interpres p. 855 Bekk. haec '*λαμβάνεται (ὁ ὑποκορισμός) . . . . ἢ ἕνεκεν τοῦ χρειώδους· ἱππάριόν μοι χάρισαι· μειῶ γὰρ τὸ ζητούμενον, ἵνα ἑτοιμότερον πρὸς τὸ δοῦναι ποιήσω τὸν ἔχοντα*': quibuscum uerbis plane fere consentiunt quae Michael Syngelus in Cram. Anecd. Oxon. IV p. 273 docet '*γίγνεται τὰ ὑποκοριστικὰ ἢ . . . . ἢ δι' ἀναγκαιότατα* (lege *ἀναγκαιότητα*), *ὡς ἐὰν ὁ αἰτῇ τις σμικρύνῃ, ἵνα μὴ μεγάλην ποιήσῃ τὴν χάριν· ᾧ κέχρηνται οἱ κωμικοί, ὡς ἔχει τὸ παρὰ Μενάνδρῳ 'λεβήτιον*'. — quid Stephani *χρειῶδες* et Syngeli *ἀναγκαιότης* sibi uelint cognosci ex Prisciano licet p. 610, *solent deminutiua uel 'necessariae' significationis causa proferri, ut Salustius in Iu-*

Digitized by Google

gurthino '*postquam reguli in unum conuenere*' *reguli id est parui reges* . . . necessario igitur adhibitum est id deminutiuum quo res designatur aliqua quae parui notionem continet neque exuere potest : quo usu '*filiam paruam*' 'filiolam', '*munus paruum*' 'munusculum', '*pallium paruum*' 'palliolum', '*portam paruam*' 'portulam' nominamus. inde sequitur ut e tribus grammaticis quorum locos supra excripsi Priscianus solus uim deminutiuorum propriam senserit, Stephanus autem et Syngelus non tam principale illud genus deminutionis accurate descripserint quam huius speciem quandam solam sint interpretati.

Ceterum, id quod ex rei natura consequens est, nullum deminutionis genus cum linguis in uniuersum Indoeuropaeis tum sermoni Graeco et Latino familiarior est quam hoc uere deminutiuum siue *μειοῦν*. neque enim opinio me fallit, puto, si quarta omnium deminutiuorum et Graecorum et Latinorum parte dempta et reseruata quae restent omnia profiteor uere deminutiua esse. quae cum ita sint, ridiculum et absurdum paene ducam siquis exempla huius usus uelit congerere, ut pote quibus lexicorum quae uocant pagina una quaeque oppleta sit. ideo melius uidetur esse quod spatium illis sepositis lucratus sum id in deminutiuis quibus adiectiua minuentia addita sunt explicandis consumere.

3 Reperiuntur enim interdum apud Graecos saepius apud Latinos scriptores adiectiua minuentia deminutiuis conexa nominibus. quo modo haec explicanda? num forte uis deminutiuorum sensim obscurata euanuit ut adiectiui adpositi sit obscuratam memoriam deminutionis renouare? hoc de exemplis non nullis quidem negare uix ausim, sed omnia exempla hoc modo interpretari quis suscipiat? prius quam ipsi naturam huius rei euoluere conamur, pauca exempla quae ad hunc usum spectant adferre placet. conferantur igitur Aristophanis Vesp. 511 *δικίδιον σμικρόν* h. e. *causula parua*, Vesp. 803 *δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ*, Charit. I 13 *δακτυλίδιον μικρόν* adque hunc locum Doruillium cf. p. 284, Xenophontis Ages. 1, 21 *παιδάρια μικρά* h. e. *pueruli parui*

Digitized by Google

et Demosthenis p. 1252, 28 *ἐκ μικροῦ παιδαρίου*, Platonis Eryx. p. 394 D. *σμικρὸν οἰκίδιον domuncula parua* et Plutarchi Aem. 5 *πάνυ σμικρὸν οἰκίδιον*, quocum conferas germanicum Biterolf. 4205 *zwei vil kleine kindelîn* quod Grimmius gramm. III 664 adfert. exempla alia Graeca praebent Fischer ad Veller. II 37, Weiske de pleonasmo p. 59, Sturz Lex. Xenoph. III 157. ex Latinis haec sufficiant pauca : Plauti Rud. V 2, 38 (1325) *curculiunculos minutos fabulare*, Terentii Andr. III 2, 32 *pisciculi minuti*, Ciceronis de Nat. Deor. II 48, 123 *pisciculi parui*, Plauti Curcul. IIII 2, 42 (528) *puella paruola*, ut apud Terentium Eun. I 2, 28, Ciceronis ad Quir. 8 *nauicula parua*, Parad. praef. § 2 *minutae interrogatiunculae*, Disp. Tusc. III 1, 2 '*paruuli igniculi*' quasi triplici deminutione praedita locutio, Valerii Maximi Memorab. VIII 8 ext. 1 *cum paruolis filiolis*, Ciceronis ad fam. IX 12 *munusculum leuidense*. Cf. praeterea Sanctii Mineru. I 82 Baueri cum Perizonii nota, Oudendorpius ad Caes. BG. VIII 13 BAfr. 63, 2 '*nauigiolum paruum*', Dauisius ad BAfr. 27, 2 '*lapilli minuti*'. — Germanica exempla Grimmii gramm. III 664 suppeditat : *ein vil kleinez schiumelîn* Parc. 17189, *kleiniu wunderlîn* Parc. 19600, *ein kleinez rînelîn* Trist. 19446. iam exemplis conlectis uideamus qualis natura sit huius pleonasmi, ut ita dicam, propria et certa. cum id quod m o t i o n e quadam i n t e s t i n a p o t e s t a t i uocis alicuius p r i n c i p a l i a c c e d i t minus clare ac distincte adpareat quam quod a d p o s i t i o n e quasi e x t e r n a additur, linguas ueri simile est adiectiuo adposito deminutionis notam quae sola substantiui terminatione contineatur corroborare et firmare uoluisse. recte se habere quae doceo facile cognosci potest, si usum linguae nostrae examinamus. si nos *ein kleines bübchen* dicimus, non ignoramus neque obliti sumus *bübchen* per se *puerulum* siue *puerum paruum* significare, sed quoniam deminutionis nota '*chen*' non satis clara ac grauis esse nobis uidetur adiectiuum adicere lubet. — neque tamen apud Romanos, cum praesertim mecum reputem exempla Latina huc spectantia frequentius quam Graeca extare, arbitror illam iam adlatam causam solam

Digitized by Google

ualuisse. multum enim praeterea in hac re momenti habuisse existumo quoddam deminutiuorum quasi cumulandorum studium : quod quodam modo ipsum e studio adlitterationis quam uocant, cui eidem Latini indulgebant, extitisse et profectum esse coniciam. cf. R. Klotzii hist. litt. Lat. I 268. quae res quo clarius dispiciatur non nulla exempla adferam in quibus deminutiua conplura coniunctim leguntur. cf. Plauti Rud. 1169 *post sicilicula argenteola et duae conexae maniculae et suculast,* Epid. V 1, 33 *annellum aureolum,* Pseud. 67 *teneris labellis molles morsiunculae, papillarum horridularum oppressiunculae,* Titinii 170 Ribbeckii *succrotilla uocula,* Afranii 224 Ribb. *bacillus corneolus,* Catulli LVII 6 *tenelli utrique uno in lectulo erudituli ambo,* XXV 1 *cinaede Thalle mollior cuniculi capillo uel anseris medullula uel imula auricilla,* 10 *ne laneum latusculum manusque molicellas inusta turpiter tibi flagella conscribillent,* Ciceronis Or. III 60 *eburneola fistula,* Varronis ap. Non. p. 456, 9 M. *oculi suppaetuli nigellis pupulis,* Catulli LV 17 *lacteolae puellae,* sescenta similia. — iam non amplius dubitari potest quomodo adiectiua '*parui*' siue '*minuti*' nominibus deminutis adposita explicanda sint. '*pisciculum paruum*' enim Cicero eadem duplici deminutione dixit qua Titinius '*bacillum corneolum*' nominauit. nam deminutio adiectiui '*corneoli*' non ad eius ipsius qualitatem refertur, ut pote quae nec minui neque augeri possit, sed ad notionem quae nomine adiectiuoque concretis efficitur, quasi Germanice '*ein kleines hartriegelstöckchen*' dicatur. inde nihil referre saepe num deminutio nomini an adiectiuo addatur patet. nam, ut exemplis duobus utar, '*causa paruula*' idem quod '*causula parua*' significat, quorum utrumque apud Ciceronem reperitur, et *lychnuchulus ligneus* atque *lychnuchus* (Graecae enim uocis latina deminutio ingrata uisa est) *ligneolus* (Cic. ad Q. Fr. III 7, 2) est nihil nisi quod nos *ein holzleuchterchen hölzernes leuchterchen* dicimus. cf. Naegelsbachii Lat. Stil. p. 131.

At quispiam miretur cur quae proxume de adiectiuis minuendi dixi hic ubi de usus deminutionis differentiis eram

Digitized by Google

disputaturus inserere maluerim quam aptiori loco reseruare. istum accipere uelim hanc causam. ex eis quae supra scripsimus adparet adiectiua deminutiuis adposita saepe numero notioni deminutiuo ipso expressae non tam noui quicquam adferre quam repetere tantum notam deminutionis : quae obseruatio magni est momenti ad sensum deminutiuorum accurate cognoscendum. neque enim deminutioni potestas illa minuendi de qua adhuc usque sola disputauimus semper constans atque inmutabilis inest, sed, id quod plenius infra exponetur, praeterea per adulationem quoque et per contemptum adhibetur hypocorismus. cuius triplex munus et officium etsi facile in uniuersum intellegitur, tamen saepe cum singulos locos scriptorum et exempla tractamus solo rerum et uerborum contextu in auxilium ascito nihil profici neque inde iudicari potest utrum uocabulum aliquod deminutum uere minuat an blande an contemptim significet rem seu personam qualemcumque. — at uero multo etiam saepius sic in dubio relinqueremur, nisi interdum nominibus deminutis adiectiua blandientia quoque et contemnentia conecterentur. haec enim cum et ipsa uelut minuentia adiectiua, de quibus proxume exposuimus, sensum nominum deminutorum quibus adiuncta sunt iterent, produnt utri deminutionis generi illa nomina ascribenda sint. iam cum in paragraphis quae hanc secuntur saepius adiectiuis solis deminutioni additis ad eius uim propriam definiendam uti cogar, haec de illorum adiectiuorum munere atque officio ceteris praeponere malui quam minutatim prolata rebus ipsis inmiscere.

4 Postquam de nomine '*deminutionis*' ac de necessaria deminutione disputatum est, iam, ut tandem supra promissa praestemus, uideamus quid nomen deminutionis Graecum significet et quid inde redundet. Graeci aliunde ac Latini egressi nomen *ὑποκορισμοῦ* quo deminutionem designare solent inuenerunt. '*ὑποκορίζεσθαι*' Phrynichus in Bekk. Anecd. 47 ait '*σημαίνει τὸ πρὸς τὰ κομιδῆ παιδία νήπια ψελλιζόμενον τῇ φωνῇ παίζειν. κόρος γὰρ ὁ παῖς*'. *ὑποκορίζονται* igitur qui ad puerulos (*κόρους*) incertam eorum uocem imitati

Digitized by Google

ore balbo locuntur, deinde qui deminutiuis utuntur, quippe quae pueruli et puellae adament usurpare. deminutiua autem illa quibus pueri puellaeque saepissime utuntur non tam ad subiectum quoddam extenuandum quam ad blande ac lepide nominandum usurpari satis constat. nec difficile est explicare quo modo notiones parui et lepidi inter se cognatae sint. praeterea conferantur hi loci grammaticorum : schol. ad Dionys. Thrac. 855 Bekk. *ὁ ὑποκορισμὸς ὄνομά ἐστι μικρότητος ἐμφαντικὸν καὶ κόραις ἐοικός. λαμβάνεται δὲ ἕνεκεν τοῦ πρέποντος, ὡς παρ' Ἀλκμᾶνι ***· κόραι γὰρ αἱ λέγουσαι.* Mich. Syngel. l. c. . . . *ἢ διὰ τὸ πρέπον, ὡς παρὰ Ἀλκμᾶνι ἔχοντι* (al. *εὕρομεν* cf. p. 329, 11) *τὰς παρθένους ὑποκοριστικαῖς χρωμένας λέξεσι· πρέπει γὰρ τοῦτο παρθένοις.* deinde alterum schol. Dionysii p. 856, quocum incertus grammaticus in Crameri An. Ox. IIII 329 consentit, *τὸ ὑποκοριστικὸν ἐλάττωσίν τινα σημαίνει. εἴρηται δὲ παρὰ τοὺς κόρους, τουτέστι τοὺς μικροὺς νέους ἢ τὰς κόρας· τούτους γὰρ πολλάκις ἢ ταύτας ὑποθωπεύοντες* (subblandientes) *τοιούτοις κεχρήμεθα ὀνόμασιν, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ 'νηττάριον'.* uide Aristophanis Plut. 1010 (1012), ubi anus quaedam temporum pristinorum memor de iuuene qui se deseruerit haec dicit,

καὶ νὴ Δἴ εἰ λυπουμένην αἴσθοιτό με
'νηττάριον' καὶ 'φάττιον' ὑπεκορίζετο.

denique Priscianus haud dubie Graecos imitatus scribit p. 610 P. . . . *uel adulationis causa solent deminutiua proferri et maxime puerorum, ut Catulaster Antoniaster Patriciolus Sergiolus.* his quae adduxi omnibus demonstratur Graecorum *ὑποκορισμόν*, quamquam omnia deminutionis genera eo nominantur, proprie sola deminutiua *blanda* significasse : ueluti nomen Latinum *deminutionis* proprie *extenuationem* seu *μείωσιν* ualens ad ceteras quoque species designandas deflexum est. quae cum ita sint, aptum uidetur, ut uerbis parcamus inutilibus, deminutionem constanter eum nominum adfectum adpellare quo intellectui principali rei suppositae aliquid detrahitur, hypocorismi contra nomine ita uti ut deminutiuorum blandorum genus eo significetur.

Digitized by Google

5 Neque uero sola Graeca lingua fuit quae hypocorismum cum deminutione coniunxit: ceteris linguis Indoeuropaeis eadem proprietas est. sic ut hoc in transcursu dicam, Indi quoque *ὑποκοριστικῶς* deminutiua adhibuerunt. cf. Th. Benfey in grammatica linguae Sanscritae ampliore § 559 IV. Exempla haec sint, गुडक guḍaka *) *bellaria puero ad dolorem quendam sedandum data* a गुड guḍa *saccharum,* मातृका mâtṛkâ *matercula* a मातृ mâtṛ *mater,* तारक târaka *pupilla oculi* a तार târa eiusdem significationis पुत्रका putrakâ et पुत्रिका putrikâ *filiola,* कन्याका kanjâkâ *puellula* a कन्या kanjâ *puella* Böthlingk-Roth SkrW-B II 60 : num pro deminutiuo etiam कन्यला kanjalâ *puellula* habendum est? उलूखलक ulûkhalaka *mortariolum* RV I 28, 5 quod uocabulum Benfey KZ VIII 87 **) recte '*liebes mörserchen*' uertit. huc nomina propria quoque spectant deminuta, ut भासुरक bhâsuraka a भासुर bhâsura *splendidus,* quasi Graecum *Λάμπυλλος,* et multa alia de quibus infra plura dicentur. — Graeci deminutiua saepissime hypocoristicos adhibent. pauca exempla sufficiant: *ἀπφάριον ἀπφίδιον ἀπφίον* de qua adlocutione blanda Bast et Schäfer ad Gregor. Corinth. 320 et quos citant conferantur, *κόριον* : Polyphemus Galatheae amore deperiens apud Theocritum XI 60 canit *νῦν μάν, ὦ κόριον, νῦν αὐτῶ νεῖν γε μαθεῦμαι,* uocem *μάτρυλλα* a *μήτηρ* ut sit *matercula lenuncula* bene Lobeckius PP. 128 deriuauit, *αὐλητρίδιον tibicinae* blanda adlocutio. expectari licet satis multa huius generis apud comicos poetas reperiri : nec hac opinione fallimur. Aristophanis Acharn. 872 *ὦ χαῖρε, κολλικοφάγε Βοιωτίδιον, τὸ Βοιωτίδιον* quasi '*Boeotiolus*', *γαστρίδιον uentriculus, das liebe bäuchlein* : '*σκέψαι τοίνυν*' inquit Socrates ad Strepsiaden, '*ἀπὸ γαστριδίου τυννουτουὶ οἷα πέπορδας*' Nub. 392, *Δημίδιον* : Eq. 726 *ΚΛ. ὦ Δῆμε, δεῦρ' ἔξελθε! ΑΛΛ. νὴ Δί', ὦ πάτερ,*

---

*) In alphabeto Indico transcribendo Georgii Curtii rationem GrEtym. I 98 secutus sum.

**) Zeitschrift für vgl. Sprachforschung herausgegeb. von A. Kuhn.

Digitized by Google

ἔξελθε δῆτ'. ΚΛ. ὦ δημίδιον ὦ φίλτατον, ἔξελθ' ἵν' εἰδῇς οἷα περιυβρίζομαι, notetur uelim adiectiuum *φίλτατον* ad *Δημίδιον* positum. — Eq. 1199 *ὦ Δημίδιον· ὁρᾷς τὰ λαγῷ' ἅ σοι φέρω* et ibid. 823 *Δημακίδιον.* cf. Nubb. 746 *ὦ Σωκρατίδιον φίλτατον* 223 *ὦ Σώκρατες, ὦ Σωκρατίδιον!* Ach. 404 *Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον* 475 *Εὐριπίδιον ὦ γλυκύτατον καὶ φίλτατον.* — *Ἑρμίδιον* : *'μὴ νῦν λακήσῃς λίσσομαι σ' ὡρμίδιον'* ait ad Mercurium Trygaeus apud Aristophanem Pac. 382, *Ξανθίδιον* : *μηδαμῶς, ὦ Ξανθίδιον,* Ran. 582, *ὀνίδιον* : *πεπόρδει κατεγέλα, ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον εὐωχήμενον,* Vesp. 1306 quocum loco conferas Horat. Sat. I 9, 20 et Reisigii Schol. de LGr. 153. *φιλοτάριον* quasi *amiculus* : *σὺ δὲ φιλοττάριον αὔλητά . . . προσαύλησον μέλος,* Eccles. 891, *Φειδιππίδιον* a *Φειδιππίδης* : Strepsiades filium arcessiturus clamat: *Φειδιππίδη, Φειδιππίδιον* Nubb. 80. praeterea *Πολυδεύκιον* Luc. dial. mort. I 3 *Κυκλώπιον* Eur. Cycl. 265. deinde huic generi tribuenda sunt permulta feminarum nomina deminutiua, in primis meretricularum (u. schol. Voss. ad Luc. Catapl. 12 IV 104 Jacobitzii) ut *Γλυκέριον ὑποκοριστικὸν ἀντὶ τῆς Γλυκέρας, Ἀθηναίων ἔθει. οὗτοι γὰρ τὰ θηλυκὰ ὀνόματα οὕτως ὑποκορίζονται* Schol. Luc. ap. Schäfer ad Gregor. p. 321. *Ἀμαρυλλίς Ἀμπελίς ἡ Ἀμπελίδιον ἡ Εὐφόριον Ἡδύλιον* (a *Ἡδύλη*) *Θέρμιον Κοναλλίς Κρίτυλλα Κτήσυλλα Κύδιλλα Λεοντάριον Λεόντιον Λοπάδιον Μελισσάριον Μυριλλίδιον Ναννάριον Νάννιον Στρουθίον Φιλημάτιον Χρυσάριον Χρυσίον Χρύσιλλα* cf. Goethii op. I 65 *fand mein holdchen nicht daheim, musz das goldchen drauszen sein, Πλαγγώνιον* ab *ἡ Πλάγγων* Charit. III 2, p. 57 Doruill. *Κυβέλιον* a *Κυβέλη* nomen ancillae Hel. VII 10 *Μυῤῥινίδιον* : *ὦ γλυκύτατον Μυῤῥινίδιον* Arist. Lys. 872 uel *Μύῤῥιον* 906 si lectio uera est, a *Μυῤῥίνη.* — huius generis nomina comici Graeci saepissime adhibuerunt quorum exempla multa uel Latinae auctores comoediae praebent. sic in Plauti Milite glorioso *Philocomasium mulier Acroteleution meretrix* in Rudente *Ampelisca mulier* in Asinaria *Philenium meretrix,* in Curculione *Planesium uirgo* in Pseudulo *Phoenicium mulier* in Sticho

Digitized by Google

Crocotium ancilla Stephanium ancilla in aliis fabulis alia leguntur. sicuti mulierum ita uirorum quoque nomina saepissime deminuuntur cuius rei exempla non nulla iam supra inter Aristophanica commemorauimus. praeterea haec conferuntur *Μίκυλος Ὤκυλλος Φάνυλλος Νίκυλλος Ἡγύλος Βακχύλος Φιλίππιον* a *Φίλιππος Λαμίσκος Λυκίσκος Παρμενίσκος Σωφρωνίσκος*. de his et similibus uberrime, ut solet, Pottius Personennam. 130. — insuper generi hypocoristico motionis deminutiuae ei Graeci ascribendi sunt hypocorismi qui syllaba uel littera in fine nominum adiecta ut formentur tantum abest ut inminutione quadam, siue contractionem siue mutilationem medicorum uoce ad linguam translata dicere mauis, quam maxime mira efficiantur. — en exempla *Ἥρυλλος* hypocoristicum nominis *Ἡρακλῆς*, *Βάθυλλος* nominis *Βαδυκλῆς*, *Θράσυλλος* nominis *Θρασυκλῆς*, *Δάμυλλος* a *Δαμοκλῆς*, *Ἀρίστυλλος* ab *Ἀριστοκλῆς*, *Ἄντυλλος* ab *Ἀντικλῆς*, *Φάνυλλος* ab *Φανοκλῆς*. cf. Eustath. 1817, 61 Herodianus in Etym. Magn. 142, 56 Lobeckii PP. 127. 136 et quos Prellerus Rom. Mythol. 641 citat Valckenar. ad Theocr. Adon. p. 201 B, O. Jahn. Prolegg. ad Pers. p. XCV. praeterea aliter terminata de quibus Schol. Dionys. Thrac. 857 Bekk. *ὁ τέταρτος* (*τῶν ὑποκοριστικῶν τύπος*) *εἰς ᾶς*, *ὡς Ζηνᾶς Ζηνόδωρος καὶ Μητρᾶς ὁ Μητρόδωρος*, quibus adde *Θευδᾶς* pro *Θεόδωρος*, *Πυθᾶς* pro *Πυθόδωρος*, *Μηνᾶς* pro *Μηνόδωρος*. cf. Lobeck. Prol. Path. 506, Pott. Personenn. 87, Lobeck. ad Phryn. 434. ex feminarum nominibus technici huc in *ῶ* terminata spectare censent. Schol. enim Dionysii Thracis iam saepe citatus p. 857 *τῶν θηλυκῶν*, inquit, *ὑποκοριστικῶν τύποι τρεῖς, ὁ εἰς ῶ, οἷον Ὑψώ Ὑψιπύλη Εἰδώ Εἰδοθέα καὶ Ἀφρώ ἡ Ἀφροδίτη* : de quorum natura hypocoristica Lobeckius in *Ῥηματ*. 317 non recte dubitasse mihi uidetur *). harum Graecarum formarum similes in Sanscrita quoque et Germanica lingua reperiuntur. Indi enim ex nomine proprio देवदत्त dêvadatta देविल dêvila ex भानुदत्त bhânudatta भानुल bhânula ex aliis alia hypocoristi-

*) Dum in plagulis corrigendis versor Ahrensium KZ. III 91 disco idem quod me iudicare.

Digitized by Google

cos contrahunt, quibus de formis infra plenius disputabitur. Germanorum notissimae sunt formae blandientes ut *Fritz* pro *Friedrich*, *Utz* pro *Ulrich*, *Kunz* pro *Konrad*, *Götz* pro *Gotfried*, *Lutz Lotz* pro *Ludwig*, *Dietz* pro *Dietrich*, *Reitz* pro *Reichard*, aliae, de quibus Jacobus Grimmius in gramm. III 690 et in thesauro ling. Germ. II 616 et Pottius Personennam. 124 exposuerunt.

6 Graecorum hypocorismos interpretati iam ad deminutiones blandientes sermonis Latini progrediamur. quarum notio uniuersa cum sit satis clara et manifesta, nihil inpedit quo minus ilico exempla conligamus non nulla : ni mirum quibus natura Latini hypocorismi specialis quam dicunt penitus cognoscatur. Plauti Asin. III 3, 103 *dic igitur me anaticulam columbam uel catellum hirundinem monedulam passerculum putillum* et ibid. III 3, 76 *dic igitur me passerculum gallinam coturnicem agnellum hoedillum me tuum dic esse uel uitellum.* cf. Huschkii Anall. litt. p. 64, Cas. IV 4, 14 *meum corculum melculum uerculum*; cf. Prisc. p. 610, Curc. 11 *melculo dulci meo*, Poen. I 2, 153 *meus ocellus meum labellum mea salus meum sauium*, Cas. 46 *mi animule mea uita.* — immo uero comici Latini comoedias hypocoristicos inscribere solebant, cf. Ritschelii Parerg. Plaut. I 140. Plauti huc spectant *Neruolaria Vidularia Hortulus Calceolus Cistellaria Mostellaria Friuolaria Cornicularia*, Naeuii *Tunicularia Corollaria Testicularia Tarentilla*, Liuii *Gladiolus*, Nouii *Tabellaria Togularia*, Pomponii *Sarcularia*, denique Laberii *Catularius mimus.* — praeterea Catulli X 3 *scortillum non sane inlepidum neque inuenustum*, LXI 57 *floridam puellulam* (cf. Terent. Phorm. I 2, 31), XXX 2 *iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi*, LXI 182 *mitte brachiolum teres puellulae* (cf. Pompon. 67 Ribbeck) XXXI 2, L 19, III 18 *ocellus*, cf. Plaut. Rud. 422 *ut in ocellis hilaritudost.* LXIV 88 *lectulus*, '*aus unserm lieben rastbettlein*', quam locutionem ex scriptore quodam Germanico Grimmius citat. XXIV 1 *flosculus Iuuentiorum*, Horatii Sat. II 5, 38 *pelliculam curare* = '*die liebe haut pflegen*', Hadriani apud Spart. 25 inficeti uersus : '*animula uagula*

blandula, hospes comesque corporis, quae nunc abibis in loca pallidula rigida nudula neque, ut soles, dabis iocos'. noua ratione Cicero de Nat. D. I 17, 43 hypocorismum ad laudandam rem aliquam adhibet, quae utraque notio laudis et adulationis non ita inter se dissidet: dicit enim '*de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius*'. simillime Cicero ipse Acad. II 44, 135 *aureolus libellus* et nos '*das ist ein liebes buch*'. quod relicuum est, nominum propriorum etiam hypocorismi satis frequenter reperiuntur praesertim in inscriptionibus: *Sulla* pro *Surula*, cf. Gronou. ad Quint. I 4, Lachm. ad Lucr. 204, *Rufulus*, unde *Rullus* ut uidetur, *Augustula Tulliola*, quod nomen saepe in Ciceronis ad Atticum epistolis legitur, *Marullus* a *Marone*, *Tĭbullus* a *Tīburte* (cf. *satullus* a *satur*), *Catullus* a *Catone* (cf. Dietrichii Comment. II gramm. p. 44), *Terentilla Atticilla Liuilla Flaccilla Ipsithilla*, quo de nomine explicatu difficillimo in priore excursu infra p. 00 plenius disputabo, *Secundilla Primilla Aristillus Balbillus, Septimillus* et *Veranniolus* apud Catullum hypocoristica *Verannii* et *Septimii*.

7 Postquam in eis quae praecesserunt de hypocorismis Sanscritis Graecis Latinis disputauimus, a proposito nostro non alienum esse uidetur de loco inquirere quem in hac re ceterae Indoeuropaeae linguae obtineant.

Itaque a linguis quas uocant Romanas ordiamur, quippe quae ex Latina lingua, quam proxume tractauimus, ortae sint. omnium primum hoc loco commemorandum cum ceteras Romanas linguas tum uero etiam Italicam maxime deminutiuis omnium generum uberrimam esse atque uniuersam hanc deriuationis secundariae siue, ut Indice loquar, taddhiticae speciem ita excoluisse et quasi expoliuisse ut paene nihil perfectius inueniri possit. cuius rei conplures caussae sunt. primum enim magnus ille numerus deminutiuorum Romanorum inde explicandus est et explicatur facillime quod linguae Romanae non ex lingua Latina urbana, quae ut pleraeque a scriptoribus et poetis excultae ac quasi mansuefactae linguae usum deminutionis in artos fines coercuit,

Digitized by Google

ortae sunt, sed rusticae potissimum linguae deminutionis fere ubique studiosae originem debent. atque quanto opere deminutio ex sermone plebeio pendeat cognosci licet ex Plauto et Appuleio, quorum uterque et permulta alia ex sermone plebeio sumpsit et praeter ceteros Latinos scriptores deminutiua plurima adhibuit. cf. Pott KZ I 313 Bernhardii Rom. Litt. 288. 305. — Nec tamen exemplo solo linguae rusticae magnus ille numerus deminutiuorum intellegi potest: nam haud cuiquam in dubio esse potest Romanas linguas ipsas proprium ingenium ac iudicium secutas innumerabilia deminutiua formasse quae neque urbana nec rustica lingua Latina umquam adhibuerit. at quo modo factum est ut illae linguae, quae hereditatis a lingua Latina acceptae multum immo plurimum amiserunt, deminutionem non modo non amiserint sed etiam auxerint et latius propagauerint? equidem coniciam, ut de non nullis momenti minoris argumentis taceam, linguas Romanas grauem illam patrimonii sui iacturam ea de causa fecisse quoniam uis propria atque peculiaris uirtutum multarum linguae Latinae *) quo tempore eae ipsae linguae Romanae ex Latina orerentur dudum extincta esset: deminutionem contra quia usque ad ultimam linguae Latinae aetatem eius significatio integra duraret cum linguis eisdem seruatam esse tum noua incrementa cepisse.

Supra iam significauimus scriptores Latinos, ut pote qui lingua urbana paene omnes utantur, in deminutiuis adhibendis parum coniuere, unde ueri simillimum est huius formationis exempla permulta nos latere. quod damnum aliunde refici nequit. nam linguae rusticae monumenta, e quibus solis aliquid auxilii expectare liceat, rariora sunt quam ut inde lacuna, ut hoc utar, illa expleri possit.

Eodem modo in aliis quoque linguis res se habet. Primum Indos ueri simile est multo plura deminutiua usurpasse quam quae in eorum monumentis litterarum plerumque grauis

---

*) quarum in numero, ut exemplo utar, declinandi rationem intestino vocabulorum ipsorum adfectu perfectam duxerim.

Digitized by Google

dicendi generis et ab illo adfectu alieni reperiantur. deinde apud Homerum, qui ipse quoque sublimiore oratione illa utitur ne unum quidem deminutiuum occurrit : quae res iam ueteres non fugit, cf. Schol. Dion. Thrac. p. 855 Bekk. *παρὰ τῷ ποιητῇ οὐκ ἂν εὑρεθείη ὑποκοριστικόν· ἡρωϊκὰ γὰρ τὰ παρ' αὐτῷ καὶ ἐπηρμένα* : at tamen haud uereor nequis ab Homerica aetate deminutiua contendat aliena fuisse. — tum item erret is qui simile quid inde conligere uelit quod raro tantum in Vlphilae uersione Gothica librorum sanctorum deminuta uocabula reperiantur (cf. Grimmiorum Thes. Ling. Germ. II 613). denique quis considerans Slouenicae linguae dialectos quae hodie extant deminutionis esse feracissimas dubitet ueteri quoque eius dialecto frequentem motionis hypocoristicae usum tribuere, etsi in scriptis quibus dialectus Palaeoslouenica nobis seruata est rarissime tantum deminutiua legenti occurrunt? cf. J. Grimmii praef. ad Vukii gramm. Serbic. p. XXII. quae res mira non erit ei qui reputet dialectum illam, cui praeter alia ecclesiasticae nomen indere solent, libris ecclesiasticis praecipue contineri quorum grauitas leuitatem deminutiuorum recusat. ut tandem redeam unde egressus eram, hypocoristica species deminutiuorum Romanis etiam linguis est notissima. Itali ad hypocorismos, quos 'uezzeggiativi' nominant, formandos terminatione *-ino* praecipue utuntur : *principino ragazzino manina cagnolino carino Guglielmina Paulina* Hispani *-ito -ico* ut *mozito mozico* Lusitani *-inho* uelut *filhinho,* quae Frid. Diez Rom. Gramm. II 239 adnotat.

8 Transgrediamur ad Slouenicas linguas, quae cum ubertatem deminutiuorum respicimus apte cum Romanis conparari possunt. en pauca hypocorismorum exempla secuntur. ex Russorum *njanja* *) *nutrix* descendit *njan̆ka nutricula* et

---

*) Cum typographus formis alphabeti Cyrilliani quo ueteres Slouenі et Russi utuntur careat, uocabula Russica et Palaeoslouenica ratione in paucis mutata describi iussi ea quam A. Schleicher Beitr. z. vgl. Spr. I 32 proposuit : praeterea hanc eandem ne molesta quaedam inconstantia adpareat in recentiorum quoque Slouenicarum dialectorum uocabulis scribendis

Digitized by Google

dupliciter deminutum *njanjus'ka nutricilla*, ex *mati* mater *matus'ka* matercula ex *ditja infans ditjatko infantulus* : Illyricorum hypocorismi sunt *sinc'ek filiolus* '*mein lieber sohn*', *kon'ec' kon'ic'ek kon'ic'ec'* '*mein liebes pferd*', *kruchek krus'c'ek pastillus*, ut nos '*das liebe brot*', *oc'ek paterculus* uel *oc'ka* '*lieber vater*', *lúbka* uel *lúbeca amasiuncula liebchen*, *Micka Miceka* a *Mica Maria*, *mamka mameca matercula* a *mama mater*. Praeter ceteros hypocorismum amat Polonorum sermo, qui, ut uno exemplo utar, ex *serce cor* pro *corculo serdus'ko serdusio serdusiec'ko serdusienko serdusienec'ko serdulenko* usurpat et uario modo fere quodvis nomen proprium blandientium more adficit. cf. J. Grimmii gramm. III 700. iam Lituanica pauca exempla adferantur, a *brólis frater* deriuantur *brolùżis broly'tis brotaitis broterélis*, *materculam* significant *mamy'té mamùżė moczùtė motynėlė moty'tė*, *żmonéles* demin. a *żmónes*, plur. a *żmogus homo*, significat *homines leute*, *ihr leutchen*, *die lieben leute*.

9 De Germanorum deminutiuis, quae tandem attingimus, non nulla liceat ex penu inexhausto Jacobi Grimmii excerpere, qui plenius in grammatica III 664—705 pressius in thesauro L. G. II 612—617 ea egregie tractauit. hypocoristicos igitur Vlphilas uocabula *mauilô puella* '*liebes mädchen*' a *maui*, *barnilô* '*liebes kind*' a *barn infans* adhibuit neque aliter nomen *Attila paterculus* ab *atta pater* intellegendum est. ueteres superioris Germanicae incolae eodem modo ab *azo pater Ezilo* formarunt, ut ab *ano auus anicho* '*groſzväterchen*' = Ital. *auolo* Hisp. *abuelo* Gall. *ayeul* et ab *anâ auia anichâ groſzmütterchen*. — aetate ea qua uetus Theotisca poesis maxime florebat permulta hypocorismata a poetis usurpata inuenimus : cf. *wengel* (cf. Göthe I 14 *ist eine, die so lieben mund, liebrunde wänglein hat?*) *müemel* = *amitula*, *wîbel* = *muliercula*, *triutlî* = *dilecta*, *minnerlî* = *amasiunculus*, *sünlîn* = *filiolus*, *müeterlîn junkerlîn*. hodieque nos saepissime de-

seruandam curaui. — itaque *c' s' n' l* Germanorum elementis *tsch sch nj lj* et *z'* Gallorum j (jour) respondent.

minutiuis hypocoristicis uti satis notum neque huius rei exemplis opus est.

10 Postquam in uniuersum de hypocorismo Indoeuropaeo disputauimus, relicuum est ut pauca de singulari eius usu eis quae praecesserunt adiciamus. cum hypocorismus ex deminutione uera ita deducatur ut notio lepidi quae hypocorismo inest notioni parui quae deminutionis propria coalescat itaque omnes hypocorismi ex subiecti quadam extenuatione sint orti, inde facile quispiam coniciat non nullas notiones uelut deorum et similium rerum excelsarum et sublimium deminutione carere. at tamen haec coniectura falsa, cum re uera eius generis uocabula non raro deminuantur hypocoristicos. quis non meminit audire saepe illud plebeio sermoni Germanico proprium '*ach du (liebes) gottchen!*', cui locutio '*der liebe gott*' respondet, quae in omnium ore est? Simillime Lituanici a *dë̋uas deus* hypocoristicum *dëuátis* formant, ut Lettici '*deewinsch*'. cf. Grimmii gramm. III 665 thes. II 616. neque aliter nomina solis et lunae deminuuntur: ex mediae aetatis uocabulo Latino '*soliculus*' hypocorismo obscurato Gallicum '*soleil*' (soleil : soliculus = oeil : oculus Diez Rom. Gramm. II 227) factum est, cui linguae Germanicae ueteris *sunnelîn* nostrum '*die liebe sonne*', Slouenicorum *slŭnĭce* Bohem. *slunce* Polon. *sl'on'ce, sl'on'ec'ko* Illyr. *solnce solnc'ece,* Lituanicorum *saulélė saulýtė saulùžė* a *saúlė sol* deriuata respondent. similiter Lituanici eidem a *mėnů luna,* cuius casus genetiuus *mėnesio* est, ducunt *mėnesėlis* quo nostrum '*guter mond*' exprimitur. — huc spectant etiam quae J. Grimmius in thes. II 616 de germanicis locutionibus '*es naht ein donnerwetterchen*', '*das liebe gewitter hat eingeschlagen*' adnotauit, quibus inlustrandis optime inseruiunt quae Odofredus Muellerus ad hanc glossam Pauli ex Festo '*furcilles siue furcillae, quibus homines suspendebant*' p. 88 addit: '*deminutiuum non prohibet quo minus magnae aliquae intellegantur, ita in suppliciis aliisue terribilibus rebus sermo hominum ludere adsolet*'. quamquam *lusum* tale dicendi genus uix nominarim, sed potius per euphemismum quendam haec dicta putauerim. qui

Digitized by Google

uix negari potest in locutione '*das letzte stündlein*' uel cum feminis parturientibus dicimus : '*ich wünsche ein gutes stündlein*'. — his omnibus conpositis et inter se conparatis facile intellegitur, si ad uocabulorum significationem spectamus, uix definiri posse qualia deminutionem recipere possint qualiaque non possint. nihil enim naturae nihil diuini atque humani est absolute paruum ut quadam deminutione adfici non possit, neque quidquam naturae uel diuini uel humani tam grande et sublime est ut hypocorismo qualicumque non possit designari. — inde facile conligi potest quid de doctrinis Latinorum Grammaticorum iudicandum sit, qui res enumerare conantur deminutionem non recipientes. cf. Charis. 129 *monoptota uero nomina et haec quae natura singularia sunt hypocorismata non recipiunt neque elementa. item fluminum et montium nomina et urbium. item deorum et hominum nomina propria. item dies festi. item litterarum elementa. item numeri.* similiter idem Charisius 24, quo cum loco Incert. art. in Anall. Eich-Endl. 103 fere plane consentit et Diomed. 313 P. praeterea de similibus Corssen KZ III 304 conferatur.

11 In eis quae supra scripsimus exposuimus quo modo notio parui quae deminutioni inest propriae ad hypocorismum significandum adhibita sit. iam incipiamus alterum illius notionis officium explicare. — si enim significationi subiecti cuiusdam aliquid detrahitur, hoc non solum in bonam partem, ut in hypocorismo, sed etiam in malam accipi potest partem ut subiecti contemptus quidam eo exprimatur. hoc tertium genus deminutionis *καταφρονητικὸν* adpellare nobis liceat. ueteres grammatici haec rettulerunt. Schol. Dionys. Thrac. 855 *λαμβάνεται ὁ ὑποκορισμὸς ἢ . . . . ἢ τοῦ γελοίου χάριν, ὡς 'τὸ Πριαμύλλιον' ὁ Πρίαμος* et Mich. Syngelus ap. Cramer. An. Ox. IIII 273 paucis mutatis *γίνεται δὲ τὰ ὑποκοριστικὰ διὰ γελοῖον, ὥς τε παρ' Ἐπιχάρμῳ 'Πριαμυλλίδριον'*. (cf. Theogn. in Bekk. Anecd. II 1413.) Incert. de R. gramm. ibid. 329 : *ἢ διὰ κολακείαν.* grammaticorum Latinorum, quod sciam, nemo de hoc deminutionis genere mentionem fecit. — exemplis Graecis et Latinis non nulla Sanscrita praeponere

Digitized by Google

iuuat : cf. Benfey gramm. l. Sanscr. ampl. § 559 II. जरतिका g'aratikâ *misera anus* a जरती g'aratî *anus*, चोरितक k'ôritaka *miserum furtulum* a चोरित k'ôrita *furtum*, अस्थिक asthika *miserum ossiculum* ab अस्थि asthi *os*, भीष्मक bhîshmaka *miser Bhishma*, रागमञ्जरिका râgamañg'arikâ *misera Râgamañg'ârî* a रागमञ्जरी râgamañg'arî, सौवीरक sauvîraka *miser Sauvira* a सौवीर sauvîra nom. propr., शूद्रक çûdraka *miser Çûdra* a शूद्र çûdra, proprie '*uir quarti Indorum ordinis*'. — ex magno numero Graecorum deminutiuorum contemptus causa adhibitorum haec delegi : *ἀνθρωπίσκος homuncio*, de quo uocabulo hanc glossam insignem in Bekkeri anecd. I 14 repperimus *ἀνθρωπίσκος φαῦλος· οἷον ὁ ἁπλοῦς καὶ μηδὲν ποικίλον ἔχων. τὸ μέντοι ἀνθρωπίσκος ἐπὶ καταφρονήσεως τίθεται.* — *χρυσίδιον*, in primis *χρυσίδια* = *aurum misellum* Isae. II 9 Dem. XXVII 15 p. 818, similiter Cicero pluries '*nummulos*' adhibet, ad Att. I 16, 6 *si iudicium est, triginta homines populi R. leuissimos ac nequissimos nummulis acceptis ius ac fas omne delere.* ibid. 19, 9 *si tuis blanditiis nummulorum aliquid expresseris*, VIII 13, 2 *multum mecum municipales homines locuntur, multum rusticani, nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi uillulas, nisi nummulos suos.* in Vespis 1356 Aristophanis Philocleon de filio Bdelycleone multa querens *τὸ γὰρ υἵδιον* ait h. e. *miser, turpis filiolus*, *τηρεῖ με κἄστι δύσκολον κἄλλως κυμινοπριστοκαρδαμόγλυφον*, apud Ciceronem ad Atticum XVI 15, 3 *στρατύλλαξ* pro '*misero imperatore*' seu '*imperatorculo*' iocose dictum inuenitur *), *Στόαξ* uel *Στώαξ* = *misellus Stoicus* pro *Στωϊκός* Hermias ap. Athen. XIII 563 D. — *παιδάριον* contemptim in Aristophanis Nubb. 821, ubi Strepsiades ad Pheidippiden *ἐνθυμούμενος ὅτι παιδάριον (misellus puerulus) εἶ καὶ φρονεῖς ἀρχαϊκά.* simili modo *οἰνάριον* est *uappa*, quam sine dubio Romani quoque uini deminutiuo *uinulo* significarunt, etiam si talis usus nul-

*) tamen lectio est incerta. cf. Lob. PP. 128.

Digitized by Google

lum apud scriptores ueteres exemplum reperitur et ex *uinulo* contractum '*uillum*' pro *crapula* semel tantum in Terentii Adelph. V 2, 11 '*interea in angulum aliquo abeam atque edormiscam hoc uilli*' occurrit. cf. Prisc. 614 P. Charis. 73. nonne uero testis Latini loquendi usus haec glossa haberi potest : '*uillum uinulum uinellum schwacher arger geringer wein*' in Diefenbachii Gloss. med. Lat. 619? de aliis ueterum Latinorum uocabulis quorum memoria solo auxilio mediae latinitatis seruata est uideas Pott. KZ I 309. — *φϑίνυλλα* quasi *tabidula* in Aristoph. Eccl. 972 per ludibrium anus quaedam nominatur, quocum uocabulo — ut ex Lobeckii PP. 128 uideo — Coraes ad Isocr. p. 277 apte Italicum *tisicuzza* conparat. — *λογάρια* apud Demosth. p. 421, 27 (19, 255) *uilia, misera uerba* : *λογάρια δύστηνα μελετήσας* ui deminutionis adposito adiectiuo clariore facta.

12 Latina exempla deminutionis *ἐπὶ καταφρονήσεως* adhibitae haec sint : in Plauti Rud. 549 Labrax leno queritur '*Eheu redactus sum usque ad unam hanc tuniculam et ad hoc misellum pallium*', Cic. pro Pis. 23, 55 '*togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt*' et Mart. IX, 103 *trita quidem nobis togula est uilisque.* in Plauti Captiu. 51 *homunculi quanti sunt, quom recogito!*, Rud. 155 *hui, homunculi quanti estis!* = miseri homines, quam nihili estis, Seru. Sulp. ap. Cic. fam. IV 5, 3 *coepi egomet mecum ita cogitare : hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, quum uno loco tot oppidum cadauera proiecta iaceant.* eodem sensu *homullus* quoque et *homullulus* (Prisc. 614 P.) et *homuncio* usurpantur. sed in Cic. Tusc. V 23, 64 *ex eadem urbe* '*humilem homunculum*' *a puluere et radio excitabo Archimedem* uerba '*humilem homunculum*' non tam contemptum exprimunt quam ad mathematici egregii obscuram originem ac paupertatem referenda sunt. *plebecula :* Cic. Att. I 16, 11 *illa contionalis hirudo aerarii, misera ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat.* — *tocullio :* quod uocabulum Cic. ad Att. II 1, 12 ipse, ut uidetur, ex Graeco *τόκος* formauit, hoc est quasi Graecum *τοκυλλίων*, ut fenerato-

Digitized by Google

rem contemptim ut *τοκογλύφον* designet. '*parmulae*' uocem in Horatiano loco notissimo Od. II 7, 10 negare uix possumus per contemptum quendam usurpatam esse. *librariolus* = scriba uilis et miser Cic. Corn. B. 6, 14, similiter Legg. I 2, 7 *Macri loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis latinis. mercedula* : Cic. d. Or. I 45, 198 *mercedula adducti. iudiciolum* : Ammian. XXVII 11 *iuste an secus non iudicioli est nostri,* Gramm. incert. in Eichenf.-Endl. Anecd. 135 *id est absurdum meo iudiciolo :* cui uoci qui inest lenis contemptus ex modestia quadam eius qui scripsit originem ducit. *sententiola* : *corruptum dicendi genus quod puerilibus sententiolis lasciuit* Quint. XII 10, 73 praeterea IX 2, 98 XI 1, 52. denique *Graeculos* quo sensu Romani dixerint inter omnes constat. cf. de his omnibus bene disputantem Naegelsbachium L. Stil. 131. alia exempla undique facile excribi possunt.

13 Germanica exempla in omnium ore sunt : '*herrlein*', '*menschlein*', '*ein sauberes früchtchen*', '*sauberes bürschchen*'. cf. Grimmiorum thes. II 549 : *wenn denn vollends ein zuckersüszes bürschchen in der uniform oder ein barönchen, des sich gott erbarm, ein mädchen vom mittelstand an solche örter hinführt, so ist zehn gegen eins zu wetten, dasz er sie nicht wieder nach haus bringt, wie er sie abgeholt hat.* Wagner, kindesmörd. 28. Slouani ipsi quoque saepissime contemptim deminuunt uocabula. Illyrici praeter alia *-c'e* suffixo hoc sensu utuntur ut *pastirc'e miser pastor c'lovec'e miser homo.* Russi terminationibus *-is'ko -enko* illum deminutionis adfectum designare solent ut *stolis'ko uilis mensa starc'enco miser senecio* a *starikŭ senex babenco misera muliercula* a *baba mulier sudnis'ko uile uasculum parnis'ka miser puerulus* a *parenĭ puer.* Itali nomina per contemptum deminuta, quae *dispregiativi* dicere solent, terminationibus *-uolo -uola -uccio -uccia -uzzo -uzza* formant : *donnicciuola (muliercula) soldatuccio casuccia fratuzzo (miser monachus) poetuzzo medicuzzo* Diezii RGr. II 260. denique Armenii quoque, ut hoc in transitu attingam, *ὑποκορισμὸν καταφρονητικὸν* usurpant : *paravik misera uetula* a *parav anus, ik* enim

Digitized by Google

praeter *ak* et *uk* Armenicae deminutionis propriae terminationes sunt cf. *ag'ujes-ik uulpecula* ab *ag'ujes uulpes*, *ordje-ak filiolus* ab *ordje filius*, *mard-uk homunculus* a *mard homo.* cf. Schroederi Thes. L. Arm. 44.

II QVAE ORATIONIS PARTES DEMINVTIONEM RECIPIANT

14 In priore huius capitis particula semasiologiam, ut Reisigiano utar uocabulo, deminutionis Graecae et Latinae adumbrare sumus conati. iam relicuum est ut in posteriore hac particula explicemus quae orationis partes deminutionem recipiant. sicuti motio conparatiua adiectiuorum in primis propria est, ita deminutione praecipue nomina substantiua quae uocant adficiuntur. atque ita quidem res se habet ut ex mille octingentis deminutiuis quae ratione obiter inita apud scriptores Latinos reperiuntur, et ex duobus milibus deminutiuorum quae in Graecae linguae thesauris enumerantur, ubi plurimum reputamus, uix centena uigena deminutiua extant non ab nominibus deflexa. in hoc numero adiectiua aduerbia uerba pronomina deminuta continentur. — primum non nulla de adiectiuis disserenda sunt. de quibus uideas quae supra paragrapho tertia diximus. adiectiua nomina in Latino sermone saepe deminuuntur, rarissime uero in Graeco : *acidulus albulus beatulus comatulus curiosulus fessulus hilarulus inprobulus longulus loquaculus eminulus* ab adu. *eminus.* species singularis huius deminutionis est deminutio adiectiuorum conparatiuorum ut *major majusculus* (cf. Prisc. 611 P. Consent. 2021 P.) *minor minusculus*, *grandior grandiusculus*, *celerior celeriusculus*, cf. Corssen LA I 265, cuius exempla diligenter Leo Meyer KZ II 382 conlegit oblitus tamen duorum triumue, *fortiusculus pinguiusculus saepiuscule.* etiam Itali qui nunc sunt conparatiua adiectiua minuunt *maggioretto*, cui Hispanicum *mayorcico* respondet, F. Diez RGr. II 238. neque sermo Latinus cum linguis sibi cognatis solus has formas adgnoscit : Celtae enim et Persae item conparatiua deminuunt : Hibern. *maánu maiusculus laigeniu mi-*

Digitized by Google

nusculus huillénu pluscula cf. Zeuszii GC. 280. de Persicae linguae usu congruente uideas Vullersii Inst. LPers. I 170. — De Graeca adiectiuorum deminutione Lobeckius PP. 336 '*illud tamen*' inquit '*pro certo poni potest deminutionem adiectiuorum, quae latino sermoni familiarissima, Atticis insuetam ac ne in commune quidem receptam fuisse, sed haerere in finibus Dorismi, ubi δριμύλος et μικκύλος*'. his adde παχυλός *dicklich*, πύῤῥιχος *rufulus*, βραχυλός Hes. ἴτυλος· μονός ὀρφανός Hesych. cf. ἴττον· ἕν et Latinum *unulus ullus*, ἰσχυρίσκος ἀντὶ τοῦ ἰσχυρός· Ἄλεξις Bekk. Anecd. 100 si lectio uera est : Meinekius enim ἰσχυρικός coniecit, καθάρυλλος ἐρωτύλος : ἐρωτύλα ἀείδειν Bion. III 10. 13 similiter Germ. *triutel-oht triutel-ëht* Grimm. gr. II 381. praeterea ueri simile mihi est huc etiam uocabula καμπύλος (καμπύλος : καμπύλλω = *häklicht : häkeln*) δαυλός = δασυλός cf. Pott. KZ VI 406, Curtii GrE. I 199 αἱμύλος, γογγύλος (γογγύλος : γογγύλλω = *ründlich : ründeln* cf. Grimmii gramm. II 115. 382 III 687) spectare et ἡδύλος (παρὰ τὴν εὐθεῖαν ἡδύλος Apollon. de Adu. 583, 13) πραΰλος κρατύλος μειδύλος quae nomina propria facta sunt : nec tamen huius est loci coniecturam nostram probare.

15 E ceteris linguis Indoeuropaeis haec exempla deminutorum adiectiuorum adferre lubet : Indorum गुरुक guruka *grauiculus* a गुरु guru *grauis*, अल्पक alpaka *paruulus* ab अल्प alpa *paruus*, भीरु bhîru format भीरुक bhîruka *timidulus*, Persarum shyrynek *subdulcis* a shyryn *dulcis* (Vullersii lex. Pers. II 499) sabukc'ah *leuiculus* a sabuk *leuis* (ibid. II 210), cf. etiam Vullersii Inst. LPers. I 170. — Germani proprie deminutis adiectiuis carent, cum quae adiectiua deminuuntur semper antea substantiuorum speciem induerint : cf. quae Grimmius gr. III 686 adfert, *armihhâ paupercula* '*mîn zertel*' '*mîn süezel*' et Thes. II 616 '*ein frömchen*' '*ein junges gelertchen*' '*mein altchen*' *grauchen*. aliquid deminutiui inest adiectiuis *süszlich rötlich gelblich*, sed integram et intemeratam uim deminutionis dialectus Bauarica sola sibi uindicasse uidetur, unde commemorant '*sei guetel net krankel*'. — E lin-

Digitized by Google

guis Slauicis pauca tantum Lusaticae dialecti exempla adferantur : *susus'ki sicculus* a *suchi siccus*, *z'ovtus'ki giluulus* a *z'ovty*, *khudus'ki pauperculus* a *khudy* pauper. — Lituanicorum Schleicherus LGr. I 131 adiectiua deminuta haec congessit, quae loco nominum substantiuorum, quae uocant, usurpantur : *mëlùlis mëlùlė* = Germ. *liebchen* a *mëlas carus*, *senùtis* (fem. *senùtė*) = uet. Germ. *anicho* Ital. *auolo groszväterchen* a *sénas senex*. uere tamen deminuta adiectiua non desunt : *dìdëlis* quasi '*magnulus*' a uocabulo raro usurpato *dìdis*, quod est *magnus*, *mażùkas paruulus* a *mážas paruus*, *alùtis snekùtis* prouerbium '*cereuisiola (est) loquacula*' a *snekùs loquax* : ex canticulo populari Schleicherus haec desumpsit uerba, '*máno żëdélei o auksenė́lei*' *o mei anelli o aureoli* ab *áuksinas aureus*, quibuscum plane haec Plautina Epid. V 1, 31 '*annellus aureolus*' consentiunt. — de Romanarum linguarum deminutis adiectiuis u. Diezii RGr. II 238. exempla sint : Ital. *bellino poverello poveretto agretto gialluccio (helueolus)* Hisp. *cieguezuelo caeculus*, Gall. uet. *seulet jeunet petitet.*

16 Venimus ad pronominum deminutiua. e Sanscritis haec exempla praesto sunt, असुक asuka *ille* (अदस् adas) B-RSW I 123 = अमुक amuka? 376, इमक imaka (इदम् idam *hic*) 813, एषक êshaka (एतद् êtad *hic*) 1092, cf. Bfy gr. § 239, 1, 560 c. in Graeca lingua ea rarissima sunt. nam praeter *ὁσσίχος* Theocriti IIII 55 *ὅσσιχόν ἐστι τὸ τύμμα καὶ ἅλικον ἄνδρα δαμάσδει* et *τόσσιχος* apud Hesychium, quo de Lobeckium PP. 336 uideas, nulla reperiare. de Latinis similiter res se habet. praeter *ullus* pro *unulus* (Prisc. p. 619 P.) *quantulus tantulus quantillus tantillus* (conferantur etiam apud Diefenbachium Gloss. med. Lat. 481 '*quotulus wie menigfeltig*' et '*quisculus welcher*'), in quibus omnibus uis adiectiui praeualet, uereor ut multa certa exempla legantur. ingeniose tamen coniecerunt Latini pronominis *ille* terminationem esse deminutiuam Grimmius gramm. III 687 et Pottius EF. II 132 et I² 299 *), quorum alter, Pottius, idem de *ollus* quoque prono-

*) '*warscheinlich wegen der perspectivischen verkleinerung des entfernten*' Pott. Schweizer KZ. II 361 uocabula *ille* et *ollus* alia ratione explicare nequiquam temptavit.

Digitized by Google

nomine statuit quod originem ab stirpe pronominali *an ille* (Scr. an-ja *alius*) ducat. similiter Persae pro pronomine demonstratiuo '*în hic*' deminutiuum *înak* adhibent : cf. Vullersii Lex. Pers. I 153. — cum Romanorum '*ullus*' pro '*unulus*' fortasse conparari licet Indorum एककि êka-ka et similiter formatum '*singulus singuli*', quod Grimmius gr. III 697 recte pro *sin-culus* ut *uigesimus* pro *uicesimus nongenti* pro *noncenti* scriptum putat, insuper conparatis Germanorum pronominibus *einazêm einizên einzeln*, quibus item deminutionem uindicare studet. cf. Curtius quoque Gr. Et. I 360. aliter de *singulo* Benfey GWL. I 181, L. Meyer KZ. V 165, Pott EF. I 129 iudicant. pro *nullus* ueteres Romani *ningulus* interdum usurparunt : cf. '*ningulus nullus Marcius uates : ne ningulus mederi queat*' Paul. ex Fest. p. 176 Mueller. et '*ningulus nullus, ut Ennius l. II* (p. 21 Vahlen) *qui ferro minitere atque in te ninculus*' p. 177 cuius uocis origo obscurissima est. cf. Pottii EF. II 213 et I² 407 — hac nota editionem alteram libri inconparabilis significo. equidem coniecerim *ningulus* a negatione *nec* littera nasali aucta per VLO suffixum deflexum esse uelut ab aduerbio *sam* per suffixum CVLO *singulus*. *nec* notum est ab antiquissimis Latinis pro simplici negandi particula usurpatum esse, cuius usus exempla in conpositis ut *neclego necotium nec inuitus nec oboediens nec uter nec recte necne necdum nec opinatus* seruata sunt. inserta nasalis littera neminem offendet, quippe quae saepe stirpibus corroborandis inseruiat. de C in G mutato proxume adlata exempla dubitationem omnem expellunt. denique permirum est quod Hispani qui nunc sunt negationem *nec* plane eodem modo adfecerunt, cum pro *nullo ning-uno* (= *nec unus* = *οὐδείς* ex *οὐδέ nec* et *εἷς unus* et uet. Germ. *nihein nullus* ex *nih neque et ein unus* Grimm gr. III 69) adhibeant, cuius loco Lusitani *nenh-un* incolae Prouinciae Gallicae *neg-un* Valachi *nici-un* dicunt. cf. Diez. RGr. II 373. si formationem intuemur, adiectiuum *ningulus* notabilius non est quam uerba quae ex negandi particulis declinantur, ueluti *verneinen vernichten ἀναίνεσθαι* (ex particula *ἀν* cf. Buttmanni lexil. I 274 II 113. 272)

Digitized by Google

quibus quod non nulli, ut KLSchneiderus LGr. I 239 et Pottius EF. I[2] 408 addunt *nĕgare* (a *nec*) id, etsi syllaba paenultima non producta dubitationem haud paruam mihi inicit, tamen ex *ne-ig-are* (a √ *ah*, *ag*) ortum putare malim, cf. Aufrechtius KZ I 231 Fleckeisenus zur krit. d. altl. dicht. 7 Curtius GrEt. I 376. — Germani rarissime pronomina deminuunt : uestigia deminutionis huius tantum modo in dialectis non nullis reperiuntur : Bauar. *e'l de'l* = *er dir*, *dul del daszl* = *dieser diese dieses* Heluet. *duli* = *du* : cf. Grimmii gr. III 687. ex pronomine quidem ortum est sed nominis loco usurpatur nomen deminutiuum *die sieke* a *die sie* h. e. *das weibchen*, ut *rieke* a *reh* formatur : cf. Grimmiorum Thes. LG. II 617.

17 Paulo saepius quam pronomina deminuta aduerbia apud scriptores Latinos reperiuntur : quod minime mirum, cum aduerbia adiectiuis cognata sint, quae, ut supra exposui, saepe apud eos leguntur. notissimum est *clanculum* a *clam*, cui Indorum तूष्णीकाम tûshnîkâm a तूष्णीम् tûshnîm Hibernorum *indinidleán* ab *inidil clandestinus* (de *an* deminutiuo u. Zeuszii GC. 280) Batauorum ueterum *stillekine* a *stille* ductum respondent. praeterea haec commemoranda, *saepicule*, quod haud semel apud Appuleium reperitur, *saepiuscule* (Hibern. *inmeincán*) *diutule diuscule* : Augustin. Trinit. XI 2 *cum diuscule attenderimus*, quae forma si librorum manu scriptorum bonorum auctoritate probatur, per se nihil habet quod displiceat : nam *diuscule* ex *diu-ius-cule* uel *diut-ius-cule* ortum est sicuti *cis* ex *ci-ius pris-cus* ex *prius-cus* uel *uls* ex *ult-ius* cf. Corssen KZ III 298 Schweizer KZ IV 67, *primulum blandicule*. haec uere deminuta aduerbia sunt, cum ab abuerbiis *saepe saepius diu dius primum blande* descendant : sed aliter res se habet de uocabulis *tardiuscule nitidiuscule meliuscule doctiuscule commodule pressule* aliis huius modi, quae non tam a *tardius nitidius melius* quam ab adiectiuis conparatiuis *tardiusculus nitidiusculus meliusculus* declinantur ut non aduerbiorum sed adiectiuorum potius motio illa sit hypocoristica. Graeci hanc formationem omnino

Digitized by Google

non adhibuisse uidentur (Prisc. 1016), nam exempla tria quae sola reperiuntur *παχυλῶς καθαρυλλῶς σπερχυλλάδην* adulterina sunt, cum primum ac secundum aduerbia deminutiuorum *παχυλός* et *καθαρυλλός* sint neque a *παχέως* uel *καθαρῶς* descendant, tertium a uerbo quodam *σπερχύλλω* declinetur ut deminutio uerbi nec aduerbii sit. at *ὀψιχά· ὀψέ, Βυζάντιοι* Hes.? raro linguae Romanae aduerbia deminuta formant, cf. Diezii RGr. II 403 : Ital. *benino maluccio appuntino* Hisp. *á horcajadillas* Prouinc. *souendet* = *saepicule.* denique ad linguam Germanicam quod attinet, notandum dialectos quales in Germania inferiore obtinent interdum aduerbia deminuere : exempla sint quae Grimmius gr. III 688 adfert *stilliken gröfken (rusticule)*, similibus lingua Batauorum abundat *stilletjens kleintjes eventjes zoetjes* alia : contra superioris Germaniae dialectos paene funditus illam aduerbiorum motionem repudiare.

Si ab aduerbiis discesseris, particulae orationis indeclinabiles in sermone Graeco et Latino, quantum ex litterarum monumentis iudicare liceat, deminutionem non adgnoscunt : tamen in lingua rustica et in domestica loquendi consuetudine earum aliquot interdum deminutas esse haud absolute negarim. nam nos quoque Germani particulis deminutis, quas in scriptis conponendis constanter reicimus, in sermone familiari ac cum blande cum puerulis confabulamur, saepius uti non dubitamus : cf. Grimmii gr. III 688 et Thes. II 617 : *wo'l da'l sos'l* = *wo da soso* '*mit einanderchen gehn*' '*ein eieichen geben*' ex interiectione *eiei* '*ein wehwehchen*' ex interi. *weh* '*was dennerchen?*' '*ach weherl*'.

18 Denique ad ultimum genus uocabulorum quae deminutiua recipiunt uenimus, uerba deminuta dico. itaque audiamus quae de eis grammatici ueteres rettulerunt. Diomed. 336 P. *sunt item deminutiua a forma perfecta ut 'sorbillo'. sunt sine origine formae perfectae ut 'pitisso' 'uacillo'.* Prisc. 827 *sunt alia in LO desinentia quae deminutiua esse plane significationis sensus ostendit, quod apud Graecos in uerbis inueniri non potest, ut a 'sorbeo' 'sorbillo' 'garrio' 'garrulo' 'caluo' 'cauillo' pro 'caluillo'.* praeterea conferas Consent. 2063 Donat.

Digitized by Google

1754 eiusque scholiastam Cledon. 1911. — praeter exempla a Diomede et Prisciano adlata pauca inueniuntur : *conscribillo* (cf. Germ. uet. *scrip-ilôn* Grimmii gr. II 115) *ustulo* (Diezii RGr. II 328 Ital. *brustolare* = *perustulare* Germ. *brenzelen*) *cantillo sugillo titillo focillo satullo occillo oscillo gracillo obstrigillo pullulo* (*pullul-asco*) *murmurillo* *). — cf. Ruddimanni Instit. LL. I 294 EIASeyferti GL. III 121 Vossii Arist. II 178 (908 Eckst.). — item Graeci, quamquam Priscianus contraria docet, uerba deminuerunt, sed rarissime. en habes exempla *βδύλλω ἐξαπατύλλω ἡβυλλ-ιάω κωτίλλω* a *κόπτω* '*κόπις· ὁ λάλος παρὰ τὸ κόπτω* Schol. Eur. Hecub. 129' *μοιμύλλω ὀγκύλλομαι σαπύλλω μιστύλλω σκονθύλλω, κναθάλλω : κνάω = ψαθάλλω : ψάω, δερμύλλω? στρογγύλλω?*

*) *sorbillo* a *sorbeo :* cf. Sueu. *süpfeln* a *supen*, *uacillo* a *uagor* descendit, ut iam Cledonius l. c. intellexit, '*uacillo*' *quasi* '*uago*', *alii reprehendunt Donatum, ut ab eo quod est* '*poto*' *mutata littera* '*pitisso*' *pro* '*potisso*' *dixerit et ab eo quod est* '*uagor*' '*uacillo*' *non* '*uagillo*'. eodem modo Doederlinium de Syn. III 61, cui Cledonii locus ignotus fuisse uidetur, iudicasse inuenio. de C et G mutatis u. § 16 et Lachmannum ad Lucr. 148. 178, unde disci potest *uagari* etiam in manu scriptis libris saepe per G scribi. *cauillo* pro *caluillo* a *caluĕre* L extruso ad lambdacismum uitandum, ueluti Graeci pro *ἔκπλαγλος ἔκπαγλος* (Schleicheri KSlau. 170) pro *λελίλημαι λελίημαι* (Curtii GE. I 328) pro *πλύελος πύελος* (ibid. I 244) formarunt. — *sugillo* cum Cledonio l. c. a *sugo* deriuarim, quamquam concedendum utriusque uerbi notionem non nisi artificiosius inter se conecti posse. quod si recte statui, adparet uerbum *suggillandi* falso per duo G scribi, quod Marius Victorinus 2465 praecipit *sicut per duo G quoties duorum G sonum aures exigant ut* '*aggerem*' '*suggillat*' '*suggerendum*' '*suggestum*' *et similia.* hac duplici littera gutturali seductus Consentius 2063 *suggillo* a *suggero* deriuat. recte enim Consentii locus legitur reiciendumque est id quod KLSchneiderus LGr. I 407 legi iussit *sugo* pro *suggero*, qua coniectura non scribae cuiusdam sed Consentii ipsius error corrigitur. *titillo* a *terendo?* cf. Benfey GWL. II 128 an a *tangendo tagendo?* cf. Doederlin. de Syn. III 1. *focillandi* uerbum certissimum est deminutiuum esse uerbi *fouendi*, quamquam litteram gutturalem spirantis loco positam difficile est explicare. de significatu cf. nostrum *bähen*, quod idem uerbum atque Latinum *fouere* est, et *bächeln ausbächeln* cf. Grimm. Thes. I 1051. 1075 et uet. *quihh-ilôn* Gr. gr. II 115. nonne *os-cillo* ab *obs-ci-eo* deriuandum? cf. *os-tendo* = *obstendo*, *ci-tus ci-to*.

σπερχύλλω quod ex Hesychii glossa *σπερχυλλάδην παρὰ τὸ σπέρχεσθαι* conici licet, *ποππυλιάζω*. cf. A. Lobeckius ad Buttmanni gr. II 394 et PP. 125. — multo saepius quam sermo Graecus et Latinus linguae Romanae deminuto uerbo utuntur, quo de Diezius RGr. II 326 ss. docte disseruit. huc spectant, ut exempla pauca adferam Ital. *brontolare piangolare* Gall. *pointiller sautiller bredouiller* Ital. *balzellare canterellare punzellare linguittare barbottare inamorazzare sparnazzare tagliuzzare galluzare*. — de formis Germanicorum uerborum deminutorum cf. Grimm. Thes. II 617 gr. III 609 : *lächeln begäffeln witzeln stückeln schnitzeln* ac ueteris Theotiscae linguae exempla *gruobilôn (scrutari) quittilôn (narrare) spurilôn (inuestigare)*. ultimo loco notandum Lituanicorum quoque sermonem saepiuscule uerba deminuere : cf. Schleicheri LGr. 161, qui inter alia haec exempla adfert, *áugalůti celeriter crescere* a *áugti crescere sargaliůti* quasi *aegrotulare* a √ *sarg sìrg-ti aegrotare, katuriůti titillare žvy'lyterëti* = Germ. *guckerlen*.

CAPVT ALTERVM

DE FORMATIONE DEMINVTIVORVM

19 Qui terminationes perlustrat quae in linguis Indoeuropaeis ad deminutiua declinanda usurpatae reperiuntur, facile intelleget duo in primis elementa antiquissima linguarum illarum aetate maxime idonea uisa esse quibus deminutiua formarentur, lambda et kappa. nam paucis exceptis terminationes deminutiuae quae aut omnibus aut plurimis linguis Indoeuropaeis communes sunt litteram alterutram aut L aut C continent. at hanc rationem deminutionis Indoeuropaeae ualde mutatam uidemus, cum singularum linguarum Indoeuropaearum terminationes deminuentes linguarum cognatarum ratione non habita undique conlegimus : tum elucet praeter terminationes quibus lambda et kappa inest haud paucas extare per litteras alias formatas. quarum non nullis etsi non ambigo quin origo Indoeuropaea, ut perspicue magis quam Latine loquar, uindicanda sit, tamen plurimas confidenter adfirmo aut propria esse inuenta linguarum singularum singulis utentium aut ex abusu quodam ortas esse, quo suffixa quibus natura notiones deminutioni cognatae inessent ui primigenia sensim euanescente uel mutata deminuentium loco adhiberentur.

Haec omnia quae plene ac perfecte exponere per libelli nostri rationem non licet, satis adparebunt ex conspectu de-

Digitized by Google

minutionis Graecae ac Latinae infra sequente. in quo, ne nimis disputatio nostra extendatur et euagetur, capita tantum modo rerum contineri possunt, quamuis multa uel dubia uel noua quae insunt ut argumentis et disputationibus plenioribus fulciantur et requirant quam maxime et adliciant : neue tamen plane quaestiones singula persequentes desint, duos excursus quos uocant adiunxi, quorum prior de deminutiuis in ALO alter de deminutiuis in XILLO est.

Digitized by Google

I
CONSPECTVS FORMATIONIS DEMINVTIVAE GRAECAE AC LATINAE

I DEMINVTIVA PER SVFFIXA FORMATA

A SVFFIXA SIMPLICIA

I PER L FORMATA

Prius quam de lambda deminutiuo Graeci et Latini sermonis disputamus, pauca de loco praefanda quem in Sanscritae et ceterarum Indoeuropaearum linguarum deminutione elementum illud obtineat. lingua Sanscrita, custos illa antiquitatis fidelissima, suffixum secundarium इल ila, cui Paṇinius nomen इलच् ilak' dedit, ad deminitiua formanda rarius quidem adhibuit, sed adhibuit tamen. resecta I uocali copulatiua quam uocant, cf. Benfeius gramm. ampl. § 617, LA suffixum restat, quod Graeco et Latino LO respondet. hoc LA, quod uocalis copulatiuae expers stirpibus in U et Ṛ exeuntibus adiungi solet, seu I-LA Indi utuntur nomina hominum propria conposita hypocorismo quodam familiari adfecturi. exempla praebet Paṇinii grammatica cum scholiis V 3, 80 ss., unde Benfeius gramm. § 561 quae adfert maximam partem deprompsit : देवदत्त dêvadatta format deminutiuum देविल dêvila uel ex posteriore uocabuli particula दत्तिल dattila, भानुदत्त bhânudatta format भानुल bhânula, पितृदत्त pitṛdatta fit hypocoristicos पितृल pitṛla, बृहस्पतिदत्त bṛhaspatidatta fit बृहस्पतिल bṛhaspatila, ex उपेन्द्रदत्त upêndradatta fit उपिल upila, ex अर्यमात्त arjamâtta अर्यमिल arjamila. de ratione formarum harum uideas supra p. 10 et Th. Benfeium Gött. GA 1851 p. 1956.

Digitized by Google

Haec LA paragoga, quae solis nominibus propriis adfigitur, uicaria RA terminationis esse uidetur, qua aliquotiens nomina adpellatiua ab Indis deminuuntur. exempla haec Benfeius adfert, कुटीर kuṭîra *casula* : Boethl.-Roth. SW II 314 a कुटी kuṭî *casa domus*, शमीर çamîra *arbuscula* a शमी çamî *arbor quaedam*, शुण्डार çuṇḍâra a शुण्डा çuṇḍâ. cum enim in aliis quoque non deminutis uocabulis linguae Sanscritae terminationes LA et RA sine discrimine adhibeantur et in uniuersum harum litterarum commutatio et in lingua Sanscrita ipsa et in ceteris ei cognatis linguis saepissime inueniatur, non est quod dubitemus quin utraque illa terminatio deminutiua sit eadem. cf. de suffixis RA et LA commutatis मधुर madhura et मधुल madhula *dulcis*, गडुर gaḍura et गडुल gaḍula *curvatus*, तन्तुर tantura et तन्तुल tantula *fibra loti*, praeterea de R et L commutatis भीरु bhîru et भीलु bhîlu *timidus* अङ्गुरि aṅguri et अङ्गुलि aṅguli *digitus*, रा râ et ला lâ *dare*, रोमन् rôman et लोमन् lôman *crinis*, रोहित rôhita et लोहित lôhita *ruber* रक् rak et लक् lak *sapere adsequi*. Cf. Pott. EF I 176.

Si recte se habent quae statui terminationem utramque RA et LA deminutiuam esse unam eandemque, ex historia conparatiua et pathologia elementorum R et L facile adparet formam RA magis primitiuam esse quam LA. cf. Benfeius GWL I 576 A. Schleicher KSl. 129 Pott. EF I 83 G. Curtius GrEt. I 70. 304. 325 Lottner KZ VII 19. ceterum utramque litteram tam saepe et facile inter se commutari explicatur optime, si considerauerimus quo modo sonus uterque L et R uocis instrumentis formetur et efferatur. utraque littera enim consonantibus strepitu aequali seu continuo praeditis eis ascribenda est, quae angustia quadam in oris canali positione linguae palatique effecta pronuntiantur. lambda pronuntiaturi linguam palato seu dentibus acutis (τομικοῖς) superioribus adnixi spiritum seu uocem dextrorsum ac sinistrorsum inter genas et linguam protrudimus. quo spiritu

Digitized by Google

lingua a palato seu dentibus repulsa et amota si ipsa uibratur, rho efferimus. cf. E. Brücke physiol. d. spr. 41 ss. C. Bruch z. physiol. d. spr. Basil. 1854 p. 24.

Si ceteras praeter Graecam et Latinam linguas spectamus, linguae Persicae non plane deminutione in L destitutae esse uidentur. nam in Vullersii Inst. Ling. Pers. I 170 suffixum deminuens ـول ûl seu ـوله ûlah reperio adnotatum; cf. مشكول maschkûl et مشكوله maschkûlah *uterculus* et چنكل tschangul a چنك tschang Vullersii Lex. Pers. I 596.

Linguae Slouanicae L elementum ad deminutionem adhibuisse non uidentur, quo Lituanica saepe utitur. cf. suffixa masc. *-elis -ulis* fem. *-elė -ulė* in A. Schleicheri gramm. 130. in linguis Germanicis deminutionem in L maxime uigere notum est et ex J. Grimmii gramm. III 665—676 potest cognosci. ne Celti quidem ueteres elemento illo in uocabulis deminuendis caruerunt, nam terminationes ILL et ELL, in quas plurima uirorum et feminarum nomina uetusta Gallica exeunt, sine dubio deminutiuae sunt. cf. Zeuszii gramm. Celt. 303.

a *Graecolatina suffixa.*

LO forma primitiua est, cui V O A E I uocales antecedunt ut suffixum conectant stirpi, cuius cum in uocalem exit extrema littera opprimi solet. cf. F. Bopp. Vgl. Gr. 1335.

1 V α) *υ–λο–ς*, fem. *υ–λη*, *υλι(δ)-ς* *) : *Ἄισχυλος ἀρ-* [1]
κτύλος μικκύλος δριμύλος Ψευδύλος Σιμύλος βραχύλος Hes.
Χαιρύλος Χαιρυλίς Σωσύλος Σωσύλη Πραΰλος Πραΰλη Ἡδύ-
λος Ἡδύλη Θέστυλις κογχύλη suffixum infrequens.

β) *u-lu-s u-la u-lu-m* **) inter suffixa sermonis Latini [2]

---

*) Formae femininae *υλι(δ)-ς υλλι(δ)-ς αλι(δ)-ς αλλι(δ)-ς* ad masculina in *υλο-ς υλλο-ς αλο-ς αλλο-ς* eandem habent rationem ac permulta Indica feminina in Î ad masc. in A, ut नदी nadî ad नद nada *fluuius;* cf. Bopp. Vgl. Gr. 1353.

**) Priscianus p. 610 hunc indicem suffixorum deminutionis Latinae conposuit: *culus-a-um ulus-a-um olus-a-um ellus-a-um xillus-a-um illus-a-um ullus-a-um cio (homuncio) aster (parasitaster) leus (aculeus) tulus (nepotulus).*

Digitized by Google

deminutiua frequentissimum est, quo fere septingenta quinquaginta uocabula deminuta reperiuntur, *digitulus foculus equulus eruditulus frigidulus hilarulus glebula lupula lunula frustulum membranulum oppidulum.*

Iacobus Grimmius in gramm. III 698 scite adnotat in sermone Latino uocabulis primae et secundae declinationis deminuendis in primis *ulo*, tertiae contra quartae quintae declinationis uocabulis plerumque *culo* nr. 38 suffigi. Grimmius ignorasse uidetur iam Priscianum eadem docuisse, nam grammaticus Caesariensis '*sciendum*' inquit '*quod nomina tertiae uel quartae uel quintae declinationis pleraque, non tamen omnia ut quidam putauerunt* *), *deminutiuorum masculina in CVLVS feminina in CVLA neutra in CVLVM terminant. a primae uero uel secundae declinationis nominibus nullum iuuenitur deminutiuum in has desinens formas* **) *nisi a primordio habet C.*' haec enim (nos pergimus) in *ulus* et in formas ei maxime cognatas terminantur. rationem aliquam illius discriminis animaduertere nequeo: haud scio an quae differentia casu orta sit, ea postea uoluntate quadam seruata sit et firmata et increbruerit, ut in hanc rem ea cadant quae Ritschelius de sepulcro Fur. gent. p. VI de aliis rebus disserens dicit '*consuetudinis inconstantia commode usum esse sermonem Latinum, qua consulto et dedita opera discerneret* '*utilitatis*' *caussa quae suapte origine minime discreta essent*'.

Huius suffixi forma magis primitiua fuit *o-lu-s o-la o-lu-m*, de qua uide nr. 7, praeterea hoc suffixum in multis uocabulis in *ullus allus ollus illu-s ellu-s* exeuntibus reconditum est, qua de re conferas nr. 4. 9. 8. 16. 12.

[3] γ) *υλλο-ς* fem. *υλλα υλλι(δ)ς*. hoc suffixum suffixo *υλο* subiunxi, quoniam ex illa forma geminata liquida littera or-

---

*) exempla sint: *adolescentulus aetatula civitatula clientulus facultatula paupertatula nepotulus*, quibus adde vocabula ut *homullus* ex *homonulus lapillus* ex *lapidulus* nec alia pauca, quae hic illic per libellum hunc sparsa invenies.

**) Priscianus confidentius quam uerius iudicauit, quamquam in uniuersum quae dicit recte se habent. cf. nr. 38.

Digitized by Google

tum esse uidetur. similiter praeter *ελο αλο ιλο* duplicata liquida formae *ελλο αλλο ιλλο* existunt omnes, ut uidetur, sola geminatione L litterae nec adsimilatione elementi cuiusdam alterius factae. in sermone Latino res est multo inpeditior. praeter suffixum *ulo* nulla forma simplicem liquidam habet, cum deminutiua in *ilo elo alo* insolentia fuisse uideantur. contra formae in *ello* et *illo* saepissime aut adsimilatione aut duplicato suffixo *ulo* fiunt, qua re idem de *ullo* quoque suffixo ueri simile est, ut mox uidebimus. — ceterum cur simplex et L geminata in illis Graecis suffixis tam facile inter se commutari possint, id ex natura liquida L litterae explicandum. nam cum L litteris aequalis seu continui sonus ascribatur, uel inde intellegi potest difficile esse, praesertim cum subtiliter talis sonus continuus efferatur, discernere utrum simplex an duplex L scribenda sit. Inde fit ut grammatici doceant nullum discrimen inter simplicem et geminam L Graecorum fuisse. cf. Consent. de barbar. 12 *labdacismus uitium in eo est quod eadem littera uel subtilius quibusdam uel pinguius effertur. nam Graeci subtiliter hunc sonum efferunt; ut enim dicunt 'ille mihi dixit', sic sonant duo LL primae syllabae quasi per unum L sermo ipse consistat.* cf. de similibus EBrücke physiol. d. sprachl. p. 52. quae cum ita sint, formas *υλο* et *υλλο* una pro suffixo eodem tractabimus neque aliter in *ελο* et *ελλο αλο* et *αλλο ιλο* et *ιλλο* disquisitionem instituemus. suffixum *υλλο* igitur saepiuscule reperitur, in primis in nominibus propriis decurtatis, de quibus u. p. 11 et infra nr. 59 : *Θράσυλλος Ἀγάθυλλος Ἀρίστυλλος Ξένυλλος Βάθυλλος Βράχυλλος Μένυλλος Φάνυλλος Φάϋλλος Ἥρυλλος Ἥρυλλα Κρίτυλλα Κτήσυλλα Νίκυλλα Ξένυλλα Μνάσυλλα Ἀνθυλλίς Στρατυλλίς ἀκανθυλλίς τετραπτερυλλίς ἡβυλλ-ιάω* a *ἥβυλλος* (*ἥβος* maturus) *μάτρυλλα μάτρυλλος καθάρυλλος ματύλλη? δάρυλλος· ἡ δρῦς* u. Lobeckii PP. 127. huc uerba quoque deminuta in *υλλω* spectant, quae supra conlegi. notabile est formam neutri *υλλο-ν* non reperiri (nec formam *υλο-ν*), sed loco huius simplicis conpositum suffixum *υλλ-ιον* usurpari. cf. infra nr. 41.

Digitized by Google

[4] *δ*) *ullu-s* fem. *ulla* neut. *ullu-m* rarius quam Graecum suffixum quod antecedit inuenitur. sunt duae species huius suffixi disiungendae, quarum alteri attribuenda sunt ea uocabula quorum L prior ex adsimilata aliqua littera est orta: *Catullus homullus lenullus Marullus Tibullus* a stirpibus *Caton homon Maron Tiburt*, *Sulla* ex *Surula* *satullus* ex *saturulo* *ampulla* ex *amporula* *Semprulla* a *Sempronia* *segullum?* = *sigillum*, cf. Doederlinius de Syn. VI 328, *ullus* ex *unulo* *pullus* ex *puerulo*, *Rullus* ex *Rufulo* (u. p. 12) uel *Rurulo* ut Vossius in Etymologico censuit, *Tullus* fortasse ex *Turulo* a nomine *Turi* cf. Pauly R-E VI 2260. cf. Corssenius LA I 263. quisque facile intelleget has formas V uocali copulatiua extrusa adsimilatione factas esse. at quo iure uocalis illa copulatiua eicitur? ut breuiter dicam, V uocalis in suffixis *ulo* *culo* a Latinis non plena et clara uoce pronuntiata et articulata sed potius obscurata et oppressa est, ut quasi furtiuus sonus quidam uocalis (similis 'schewa forti' Hebraeorum u. KZ V 548) sequenti litterae semiuocali L admixtus fuisse uideatur. cf. Corssenius LA I 79 ADietrichius de uocalibus Latinis subiecta littera L adfectis Lips. 1846 p. 37 et de uocalium quibusdam adfection. Hirschb. 1855 p. 8. 9. haec est causa cur formae illae et aliae V uocalem abiciant, cf. *hercle periclum templum uinclum maniplus saeclum gubernacla coplata* Lucr. VI 1088 *circlos auonclum* ap. Grut. 869, 3 *auricla* 579, 2 Fabretti Gl. Ital. 227 *surclos*, cf. Lachmannum ad Lucr. 412 Schneiderum LGr. I 172, praeterea *adsecla* = *adsecula* *cocles* ab *oculus*, '*priuicloes*' *priuis. id est singulis* Fest. = *priuiculis* denique apud gramm. inc. in Anecd. Eichenf.-Endl. 106 *cloacla*, quod editores perperam in *cloaca* mutauerunt, *sitla*, *nouacla*. haec est causa cur in lingua Vmbrica quoque V illud fere numquam scribatur, Kirchhoff. KZ I 43. haec fuit causa cur Graeci Latina uocabula in suum sermonem recepturi fere semper V illud omiserint, nam sonus Latinae V litterae illius obscurius proferebatur a Latinis quam qui *ου* Graeco posset exprimi. cf. *Κάτλος Λέντλος Πρόκλος Ῥῆγλος Ἄσκλον αυσκλα αυσκλιν* in nummis

Digitized by Google

ad Asculum Apuliae pertinentibus Fabretti Gloss. Ital. 229 *Τοῦσκλον κούνικλος σίτλα situla σοῦβλα subula τάβλα tabula τίτλος titulus φαίνουκλον feniculum φούλλικλος folliculus φίβλα fibula φέκλη faecula.* — denique haec est causa cur Latini mutuati a Graecis nomen filii Alcmenes ex *Ἡρακλῆς Hercules* ex *Ἀσκλήπιος Aesculapius* fecerint Corssen. LA I 258.

Alteri speciei suffixi *ullus* haec exempla subiungenda [5]
sunt : *Primullus* a *primus Tertullus* a *tertius Fabullus* a *Fabius Lucullus* a *Lucius caepulla tipulla?* Paul. ex Fest. 366 M. a *τίφη*?? cf. Doederlinius de synon. VI 370 *caesullae a caesiis oculis* Fest. 275. M. (cf. terminationes deminutiuas uocc. *biondetta brunette* et uocis hibridae *weiszette* Grimm. Thes. I 1808) *trulla* (Varro de LL. V § 118 M.) *medulla medull-ium* (cf. Forcell. Thes. III 47 ed. Germ.) *meditull-ium* : ut *medulla* et *medullium* ad *medullus* et hoc ad *medius* refertur, ita *meditullium* a *meditullus,* cf. Forcell. l. c., et hoc a **meditus,* cf. *primitus* a *primus diuinitus* a *diuinus,* descendit. formam deminutiuam iam Doederlinius de synon. V 203 adgnouit. *ipsullices* Fest.

Exemplis propositis quaeritur qualis sit huius alterius speciei natura. infra nr. 13 et nr. 17 docuimus *ello* et *illo* suffixa, nisi ex adsimilatione profecta essent, saepissime duplicato suffixo *ulo* extitisse. qua re uidetur quam maxime commendari sententia, *ullo* quoque suffixum Latinum ex *ul-ulo* exortum esse : factum igitur est a *primo* simpliciter deminutum *prim-ulo-s* et dupliciter deminutum *prim-ul-ulo-s,* unde altera V uocali oppressa (cf. nr. 4) *Primullus* et, cum obscura uocalis V sequenti geminae L ingrata esset, ex *Primullus Primillus* formatum est. — haec fuit propria natura et ratio deminutiuorum in *ullo.* nec tamen negauerim easdem exceptiones in hac quoque forma locum habuisse quas in ceteris suffixis similibus infra tractaui. — qui hoc suffixum ex mera geminatione litterae L in suffixo *ulo* explicare uellet, ut Graeco *υλλο* accuratissime responderet, speciosius quam uerius ageret : praeter alia quae hoc dissuadent, reputetur

Digitized by Google

uelim hoc unum nec *ellus* nec *illus* ex geminatis *elo ilo*, quae non reperiantur, profecta esse posse.

[6] 2 O α) ο–λο–ς? rarissima nec satis exemplis idoneis probata terminatio : *σκιμβόλος· ἠλίθιος* Hes. a *σκιμβός· χωλός, ἠπίολος· ὁ περὶ τὸν λύχνον πετόμενος* Aristot. HA. VIII 26 *Ἰόλη* = uiola, *αἰθόλικες* (ab **αἴθολος* et *αἰθός* uelut *ipsullices* ab *ipsullus* et *ipsus*) *αἱ φλύκταιναι ἀπὸ τοῦ αἴθειν* Galen. tamen lectio certa non est, cum in libris etiam *αἰθάλικες* et *αἰθύλικες* reperiatur, Lobeck. PP. 131, *πομφόλ–υξ* a *πόμφος pustula*.

[7] β) *o-lu-s* fem. *o-la* neutr. *o-lu-m.* supra iam adnotauimus hanc formam esse antiquiorem ac magis genuinam suffixi Latini *u-lu-s u-la u-lu-m* : cf. Corssen. LA I 254 : exempla consuetudinis antiquae sint : *singolos sorticolis popolum tabolam piacolom tremolis* cod. quadr. Lucr. IV 404 *particolas* id. II 833. seruata autem est O uocalis per omnes linguae aetates antecedentibus I et E uocalibus (cf. Prisc. 616), quae prohibebant quo minus O in V uocalem obscuram parum clarioribus illis litteris congruentem mutaretur : cf. Dietrichius de quibusd. uocal. adf. p. 4 Corssenius LA 1 303 : *aeneolus alueolus ardeola atriolum baceolus basiolum brachiolum calceolus capreolus caseolus cellariolum Coeliolus conuiciolum copiolae dulciola ebriolus fasciola filiolus flammeolum galeola gladiolus gloriola hospitiolum igneolus ineptiola ingeniolum lacteolus laureola.* denique *Scaeuola heluolus friuolus,* quorum O antecedente V seruata est, quia duplex VV altera uocalis altera consona littera Latinis ingrata uisa est.

[8] Suffixum *ollu-s* geminata littera liquida non reperitur praeter pauca exempla adsimilatione adfecta *corolla* ex *coronula persolla* ex *personula olla,* de cuius uocabulo primitiuo in excursu altero infra disputabimus.

[9] 3 A α) *α–λο–ς* uel *αλλο–ς* fem. *αλλα* uel *αλι(δ)–ς* et *αλλι(δ)–ς* neutr. *α–λο–ν* uel *αλλο–ν* suffixum rarum, quod infra in excursu priore plene tractabimus.

[10] β) *allu-s* rarissima terminatio : *hirquitalli* unicum est ex-

Digitized by Google

emplum uerum, non nulla, ut *Messalla Hispallus*, ex adsimilatione orta sunt. cf. infra excursum priorem.

4 E α) *ελο–ς ελλο–ς* fem. *ελλη* neutr. *ελλο–ν* quod suf- [11]
fixum raro in sermone Graeco reperitur : *κύπελλον κύφελλον νεφέλη nebula* quasi '*parua nubes*' *σκόπελος scopulus Μύσκελλος πέμπελος Ὤκελλος*, *ἄγγελος* Salmasius audacter cum Latino *anculus* conparauit, quod ualde dubium est : quamquam ceterae etiam huius uocis explicationes mihi non arrident. cf. Böthl.-R. SWB I 55.

β) *ellu-s* fem. *ella* neutr. *ellu-m* *). usus huius suffixi [12]

---

*) Quoniam eis quae Priscianus p. 614 de hoc et sequentibus suffixis disputavit saepe utemur, summam eius disputationis hoc loco posui. *In NVS siue habeant ante N aliam consonantem siue non : et in LVS si non habeant geminatam L et in R secundae declinationis nomina duplicant L ante VS in deminutiuis ut 'asinus asellus, annulus annellus, oculus ocellus, tener tenellus'. et sciendum quod omnia E habent paenultimam, absque 'pugillo'* [*a 'pugnus'*] *nisi primitiua paenultimam habeant natura productam in omni genere* [?]. *tunc enim servant primitiui uocalem ut 'unus ullus uinum uillum'. feminina quoque in NA desinentia siue habeant ante N aliam consonantem siue non, geminant L in deminutiuis ante A ut 'catena catella columna columnella'. excipitur 'rana ranunculus luna lunula'. eandem formam in LA quoque desinentia uel in RA seruant ut 'fabula fabella libra libella'. excipiuntur in RA desinentia, quae nec e masculinis in R desinentibus fiunt, nec habent ante R aliam in eadem syllaba consonantem, ut 'ara arula terra terrula'. neutra quoque in NVM desinentia geminant in deminutione L ante VM et, si G habent ante N in paenultima syllaba deminutiui, I non E accipiunt ut 'tignum tigillum'. alia uero habent E in paenultima nisi sit, quod superius* [*cf. lin. 6*] *docuimus, paenultima primitiui naturaliter longa ut 'bonum bellum geminum gemellum'. similiter in ILLVM uel in ELLVM faciunt deminutiua in RVM uel in LVM desinentia ut 'tantulum tantillum lucrum lucellum'. et scire debemus quod in ELLVS-A-VM et in ILLVS-A-VM desinentia deminutiua, si a disyllabis deriuantur, assumunt unam syllabam ut 'agnus agnellus capra capella lucrum lucellum paulus pauxillus pauxilla signum sigillum'. excipiuntur a desinentibus in NVS-A-VM quae nullam habent consonantem antecedentem in eadem syllaba ante N, uenientia, ut a 'bono uno uino' deriuata. haec enim pares habent syllabas primitiuis, 'bonus bellus unus ullus'. notandum etiam 'pannus' quod 'panniculus' facit. a trisyllabis quoque uenientia deminutiua quae geminant L pares habent syllabas suis primitiuis 'oculus ocellus fabula fabella'. excipiuntur quae in primitiuis ante N aliam habent in eadem syllaba consonantem. haec enim unam addunt syllabam deminutiuis, sicut etiam disyllaba eiusdem terminationis ut 'columna columnella' sicut 'agna agnella'.*

Digitized by Google

est tripertitus. primum enim persaepe L prior adsimilatione oritur ut suffixum uerum non *ellum* sed *ulum* sit. adsimilatur praecipue R stirpium in RO et RA ut *austero* uel *agro cerebro culcitra,* quibus cum *agllum cerebllum* pronuntiari nequeat, E inseritur, cf. Johannsen lere v. d. lat. wortbild. p. 55, sicut in casu nominatiuo quoque *ager* pro forma *agr* decurtata ex *agrus.* sic formata sunt *austellus agellus cerebellum culcitella Atella* ex *Aterula Auella* ex *Auerula,* u. Corssenium KZ II 17, *cancelli canistellum capella castellum mostellum clostellum cribellum cultellus dolabella integellus labellum* '*puera* *) *antique ex quo puella*' Prisc. 615. deinde N adsimilatur et stirpium in INO uocali I ui duplicis L in E mutata, ut *gemellus* a *geminus asellus* ab *asinus femella pagella fiscella columella (columna = columina) scamellum* et stirpium in ONO ON *Nasellius* ex *Naso-onis,* huc *bellus* quoque spectat ex *bonulus* i. e. antique *duonolos,* cf. *bene:* u. Doederlin. de syn. III 23, denique aliarum consonarum adsimilatarum exempla haec adnotentur *stella* ex *sterula,* cf. sanscr. तारा târâ Kuhn. Z IV 4, *ueruella ueruex,* Eichenf.-Endl. Anecd. 106, quibus fortasse addendum est *heluella* a *heluus-eris* = *holus-eris.* cf. Corssenius LA I 282.

[13] Deinde *ellu-s* suffixum ortum est *u-lo-s* suffixo duplicato h. e si uoci cui terminatio *u-lo* iam suffixa est, idem hoc *u-lo* iterum additur, unde saepe, non semper, quia prius *u-lo* non semper deminuit (huius modi primitiua non deminuentia hac nota † insigniam), 'deminutiua deminutiuorum' existant : *arcella* dem. u. *arcula* ut pro *arcul-ula* sit, cf. Johann-

---

*) Antiqua forma voc. *puer* fuit *pouer.* cf. inscriptionem in Act. Acad. Vindob. 1854 XIV 135 editam '*Senem seuerum semper esse condecet Bene debet esse pouero qui discet bene*', cf. F. Buecheleri de Ti. Claud. Caes. gramm. diss. inaug. p. 24. haec forma antiquior, cui V consonans infuit, sine dubio Verrio Flacco in hac glossa obuersata est, quam Paulus e Festi opere seruauit p. 191 M. "*obpuuiat' uerberat a 'puuiendo' id est feriendo. unde 'pueri' quod puuiendo coercentur i. e. plagis, unde et 'pauimenta'*". nonne cum V consona voc. '*pouer*' B littera voc. *pûber* et similium conparari licet?

Digitized by Google

sen lere v. d. lat. wortb. p. 55, posteriore V extrusa prior ui sequentis L geminatae in E mutata est, eodem modo formata sunt *angellus* (†*angulus*) *buccella* (*buccula*) *capsella* (*capsula*) *catellus* (*catulus*) *cistella* (*cistula*) *digitellum* (*digitulus*) *locellus* (*loculus*) *lumbellus* (*lumbulus*) *capitellum* (*capitulum*) *ocellus* (*oculus*) *popellus* (†*populus*) *tabella* (†*tabula*) *saccellus* (*sacculus*) *sportella* (*sportula*) *ungella* (*ungula*) *uitellus* (*uitulus*).

Denique quaeritur num *ellu-s* sit reuera suffixum demi- [14]
nutiuum, ut Graecorum *ελλο-ς*. equidem arbitror antiquiore linguae Latinae aetate *ellu-s* terminationem numquam deminuisse, sed semper, ubicumque inueniatur, aut ex adsimilatione sola [12] aut ex adsimilatione cum contractione coniuncta [13] profectam esse, atque exempla paucissima, quorum natura nec illam nec hanc rationem admittit, a Latinis falsa quadam analogia seductis declinata esse. huc fortasse *basella* a Graecorum *basis* *duella* (*duo*) *Fatuellus* *flumicellum* spectant.

5 I *α*) *ι-λο-ς ιλλο-ς* fem. *ιλλα* suffixum rarum : *ναυτίλος* [15]
Dion. Thr. 857 *ὀπτίλος τροχίλος* (*zaunschlüpferlein*) *φρυγίλος* (*frigilla* Doederl. VI 138) *φαγίλος*? *ἄρκιλοι τὰ τῶν ἄρκτων νέογνα* Eust. 1535, 16 *Κυρσίλος*, *Μυρσίλος* fuit nomen Candaulis Myrsi filii, quasi '*paruus Myrsus*' i. e. '*Myrsi filius*' ut nos simillime loquimur, *Κοδρίλος* a *Κόδρος* : apud Strab. IV 633 *Κοδρίλος νόθος υἱὸς Κόδρου* Coraes coniecit, *Χοιρίλος* *Τρωΐλος* (quasi '*Trossulus*'?) *Κύδιλλα* *Κύριλλος* *Μέγιλλα* *Μέγιλλος* *ὀπτίλλος* *Πλακίλλα* *Σόφιλλος* *Φαδίλλα* *Πύθιλλα* *Πτωΐλλος* *Πράστιλλος*.

β) *illu-s illa illu-m.* in sermone Latino hoc suffixum [16]
multo saepius reperitur quam id quod ei respondet in lingua Graeca. ut in suffixo *ello*, sic in hoc quoque triplex usus suffixi adparet. primum enim '*illus*' adsimilatione cuiusdam litterae stirpis oritur, ut proprie suffixum deminutiuum *ulo* sit : *catillus* a *catinulo*, ut Varro de LL. XI p. 266 M. dixit, *lupillus* ex *lupinulo*, *machilla*? ex *machinula* *mellilla* ex *mellinula* *pistrilla* (*pistrinum*) *puluillus* ex *puluinulo*, quod extat, *salillum* ex *salinulo* *scamillus* ex *scamnulo* cf. Diomed. 312 *sigillum* (*signum*) *tigillum* (*tignum*) *pugillus* (*pugnus*) *suillus*

Digitized by Google

ex *suinulo ouillus* ex *ouinulo bouillus* ex *bouinulo uillum* ex *uinulo uilla* ex *uinula* seu *uicula* (Corssen. LA I 376) *hilla* ex *hirula lapillus* ex *lapidulo stilla* ex *stirula* a *stiria* Lachm. ad Lucr. 204. — si uocabula primitiua horum deminutiuorum in *illo* cum originibus deminutiuorum in *ello* nr. 12 conparantur, animaduertimus facile in *ello* deminutiua terminari ea quorum primitiua in syllaba ultima seu paenultima et E et I litteras habent, in *illo* contra terminata a stirpibus declinari quae solum I habent, si duo exempla aetatis inferioris exceperis *transtillum* a *transtrum* et *ueretillum* a *ueretrum* ignota Dietrichio de uocalibus L subi. adf. p. 44. quam differentiam quispiam inde ortam esse facile duxerit quod L geminata uocalem quamcumque ante se positam in E sibi maxime congruentem *) mutare studuerit. quod studium quamquam in aliis uocabulis fecisset ut uocalis I in E mutaretur, tamen in aliis non satis ualuisse : quamobrem uocalem primitiuam integram remansisse. at quid de *illo* nr. 17 fiet?

[17] Deinde *illu-s* ex *ulo* alteri *ulo* aut *culo* addito oritur ut *ellus* nr. 13 : format igitur saepe 'deminutorum deminutiua' (primitiuis non deminuentibus notam † praeponam) : *bacillus* ex *bacul-ulus bacullus bacillus codicillus* ex *codicul-ulus codicullus codicillus*, *crepitacillum* (†*crepitaculum*) *auricilla* (*auricula*) *oscillum* (*osculum*) *penicillus* (*peniculus*) *pocillum* (†*poculum*) *papilla* (*papula*) *pupilla* (*pupula*) *specillum* (†*speculum*) *tegillum* (†*tegulum*) *uerticillus* (*uerticulus*) *scortillum* (*scortulum*) *quantillus* (*quantulus*) *regillus* (*regulus*) *pusillus* (*pusulus*) *moechillus* (*moechulus*) *mamilla* (*mammula*) *haedillus* (*haedulus*) *cingillum* (†*cingulum*). supra significaui non posse diiudicari de E et I uocalium in suffixis ELLO et ILLO ratione ac discrimine. at iam miretur aliquis quod ex *bacul-ulus bacillus*

---

*) nam L gemina exilius proferebatur. Consent. in arte de barb. et metapl. 12 *exilius L proferenda est, ubi in eodem uerbo et prior syllaba in hac finitur et sequens ab ea incipit, ut 'ille' et 'allia'*. Isidor. Orig. I 31 *Lambdacismus est quotiens unum L exilius duo largius proferimus, quod contra est : nam unum largius duo exilius proferre debemus.*

Digitized by Google

factum neque *bacullus*, quod simplicius et e re magis consequens fuisset, seruatum sit. isti cum Dietrichio de uocc. subi. L adf. 45 respondendum, *id constat geminae L Romanos non amasse obscuriores uocales O uel V praeponere* [nihilo minus tamen V praeposita reperitur, sed rarius cf. supra nr. 5], *quas simplici L subiuncta facillime ac lubentissime proferrent.*

Denique quaerendum est num hoc suffixum semper ex [18] *ulo* ortum sit an interdum, ut Graecorum *ιλλο*, sit reuera ipsum suffixum deminutiuum. non uidetur quidem primo adspectu negari posse suffixum *illo* in uerbis deminutiuis sit primitiuam deminuendi formam : *cantillo* a *cantare*, sed de his etiam exemplis facile nobis uenit in suspicionem illud *illo* ex *ul-ulo* factum itaque *cantillo* ad *cantul-ulo* et *cantulo* referendum esse. cetera exempla uerborum deminutiuorum u. supra p. 27. quae suspicio eo augetur maxime quod de ceteris uocabulis suffixo *illo* formatis non dubium esse potest quin idem adfirmandum sit quod proxume de suffixo *ello* diximus h. e. *illo* aut adsimilatione sola aut ex *ul-ulo* primitiuo ortum esse. tamen non negauerim Latinos maxime posterioris aetatis analogia seductos deminutiua formasse in *illo* ex stirpe nuda nec ex stirpe *ulo* suffixo adfecta, at has formas, quae dubiae et rarae sunt, magni aestimare non possumus. difficile est exempla inuenire, de quorum sinceritate dubitari non licet : *turturilla succrotillus scintilla? rauillae a rauis oculis* Fest. 174 M. *pastillus taxillus maxilla paxillus auxilla*, de quibus in excursu altero infra plenius dicam. — in primis nomina propria huc spectare uidentur : *Flauia Domitilla Iunia Claudilla Caluia Crispinilla*, *Egnatia Maximilla Quintiniana Magnilla Varronilla Terentilla Liuilla Flaccilla Adrastilla Aristillus*, *Secundilla Quintillus Primillus Octauilla.* inter haec ea quae a nominibus in *-ius* descendunt facillime hanc terminationem asciscere mirum non est : *Domitilla* a *Domitia Claudilla* a *Claudia Terentilla* a *Terentia Liuilla* a *Liuia Octauilla* ab *Octauia Septimillus* a *Septimio*, quorum nominum deminutiua in *iolus* exire iure optimo ex nr. 8 concludas : *Domitiola Claudiola Terentiola Liuiola Octauiola Septimiolus*,

b *Graeca suffixa*
et c *Latina* non inueniuntur.

II PER K FORMATA

Sicuti supra de L deminutiuo Graeco et Latino disputaturi de L deminuente ceterarum linguarum Indoeuropaearum pauca praefati sumus, ita iam, cum de K hypocoristico disputatio instet, uideamus quo modo cum deminutiuis in K Graecis et Latinis hypocorismus ceterarum linguarum Indoeuropaearum aut consentiat aut dissentiat. primam consentaneum est linguam sacram Indicam in auxilium uocari, quae in hac quoque re nobis non deest. extat enim in lingua Sanscrita suffixum deminutiuum क ka, quo nullum aliud frequentius, ut uidetur, usurpatur, cf. Benfeius in gramm. LSanscr. ampl. § 559. exempla pauca adferre non erit superuacaneum: अण्डक aṇḍaka *ouulum* (अण्ड aṇḍa *ouum*) कुटीरक kuṭîraka *casula* (कुटीर kuṭîra *casa*) कुलीरक kulîraka *cancellus* (कुलीर kulîra *cancer*) कृमिक kṛmika *uermiculus* (कृमि kṛmi *uermis*) तिलक tilaka *sigillum quoddam* (तिल tila *signum*) पोतक pôtaka *pullus* (पोत pôta *puer pullus* (cf. Benfei gloss. chrestom. p. 198) मूषिक mûshika *musculus* (मूष mûsha *mus*) बालक bâlaka *puerulus* (बाल bâla *puer*) भस्त्रका bhastrakâ *pellicula* (भस्त्र bhastra *pellis*) शशक çaçaka *lepusculus* (शश çaça *lepus*) वृक्षक vṛkshaka *arbuscula* (वृक्ष vṛksha *arbor*).

Praeter illam formam क, qua simplicior et magis primitiua extitisse non uidetur, formae Indicae अक् ak et अक aka reperiuntur, cf. Benfei gramm. § 561, quae huic generi deminutionis ascribendae sunt. — quod in lingua Indica uidimus, deminutionem in K praeualere, id etiam in Persica obseruamus. nam ـَك ak et چه k'ah principalia deminutionis suffixa sunt. exempla deminutionis in *ak* haec adnotentur,

أنگشتک angushtak *digitulus* (angusht *digitus*) بتک butak *idolum paruum* (but *idolum*) شترک shuturak dem. uocis shutur *camelus*, چیزک k'yz'ak *recula* a k'yz' *res*, زنک z'anak *muliercula*, زنجیرک z'ang'yrak *catenula*, سگک sagak *caniculus*. cf. AVullersii Instit. L. P. I 170. suffixum چه k'ah = Germ. *tschah* patet ex primigenio *ka* Indoeuropaeo ortum esse, cum et litterae palatales semper gutturalium antiquiorum sint uicariae et hâ occulta, qua suffixum terminatur, propterea solum addita sit ne uox in uocalem exeat, id quod per Persicae linguae leges non licet. optime igitur suffixa *ak* et *k'ah* = *ka* consentiunt. quorum consensus dissensu paruo significationis minime tollitur. etiam si enim *ak* terminatio nominibus animatis sed *ka* inanimatis plerumque affigitur, tamen certum uidetur initio utroque suffixo plane eodem sensu usum esse sermonem Persarum, et posterioribus demum temporibus utilitatis uel commoditatis causa (cf. supra p. 34) illa differentia uti uoluisse. deminutiua in *k'ah* terminata sunt, سگچه sagk'ah *caniculus* a sag *canis*, چمچه k'amk'ah *paruum cochlear* a k'am *cochlear*, زیلوچه z'ylûk'ah a z'ylû *tapetum*, سریچه saryk'ah *motacilla* u. Vullers. Lex. P. II 293. quae de deminutiuis in *ag* Osseticis Pottius EF I 104 coniecit uereor ne sint inprobanda. — Linguam Armenicam deminutione in K uti iam supra adnotatum est. deminuit enim suffixis *ak ik uk*.

Conuersi ad linguas Europaeas primum linguas Slauicas tractabimus, in quibus magnus numerus deminutiuorum in K sed ne unum quidem, nisi fallor, in L formatum reperitur. cum primitiuum K in Slauicis linguis saepissime in C' (= *tsch*) et C (= Germ. *z*) mutetur, non mirabimur has litteras gutturalis primitiuae loco in deminutiuis quoque adparere. Cf. ASchleicher KSlau. 94 ss. in dialecto Palaeoslouenica deminuunt masc. *ec* : *kerablec c'vanec cvétec* (*é* = ^{e}a) fem. *ica* : *dévica veverica c'astica* neutr. *ce* : *polénce (poléno) okŭnce*

Digitized by Google

(okno) kormilce c'adce, deinde rarius masc. *ok : kolok paxillus (kol)* fem. *ka : sojka (soja) nevéstka* neutr. *eko : koleko (kolo).* u. Dobrowsky Inst. L. Slau. 307 ss. Grimmii gramm. III 699. ex lingua Russica huc spectant suffixa simplicia masc. *ekĭ ecĭ ikĭ okĭ* fem. *ka ika ca* neutr. *ko co* et conposita, quibus deminutiuorum deminuta formantur, masc. *c'ekĭ cikĭ* fem. *ec'ka oc'ka* neutr. *ec'ko.* ex Illyrica dialecto huc haec suffixa referenda sunt, masc. *ek ec ec'* fem. *ka eca ica* neutr. *ce ece ic'e*, quibus conposita masc. *c'ek ic'ek ic'ec'* fem. *ec'eca ic'eca* dupliciter deminuentia subiungenda sunt. non nulla alia ex Slauicis dialectis infra nr. 22 adferentur. Lituanica lingua praeter deminutiua in L etiam in K suffixa adhibet : masc. *-ùkas -ókas* fem. *usze*, si *sz* ex *k* ortum est, cf. ASchleicher. Lit. gr. 26. 130. — deinde notissimum Germanicis linguis deminutionem in K maxime esse familiarem, de qua disserere post Grimmium facile supersedemus. denique adnotandum, nequid praetermisisse uidear, e Celticis linguis Britannicam deminutiua in *ic* formare : *llancesig iuuencula* a *llances iuuenis femina flehessig infantulus clechic tintinnabulum ydnic pullus mamic matercula tadik paterculus gwazik homunculus merc'hik filiola.* Zeuszii Gr. Celt. 303. — haec de KA suffixi forma satis sint. iam restat ut de eius origine pauca disseramus, non quo illam quaestionem difficillimam enodare nobis persuasum sit, sed ut opiniones aliquas refellamus, quae specie quadam ueritatis fallaci multos uiros doctos diu uidentur tenuisse et decepisse. quaeramus igitur cur KA suffixum Indoeuropaeis maxime idoneum uisum sit ad deminutiua formanda. uix dum quaestionem proposui, cum iam quosdam respondere audire mihi uideor illud KA nihil esse nisi pronomen interrogatiuum Sanscritum क ka, quod in haud paucis conpositis nomini alicui praepositum deminutioni aut similem aut eundem adfectum nominis designet. cf. Pott. EF II 458. at quaenam est illorum conpositorum natura? conligamus exempla non nulla. particulae pronominales ad hunc usum in lingua Sanscrita adhibitae sunt कद् kad किम् kim

Digitized by Google

कम् kam कव kava का kâ कु ku. कद् kad, proprie nom. acc. neutr. pron. क ka, praeter alia in his exemplis legitur: कद्ध्वन् kad-adhvan *uia mala* कदपत्य kad-apatja *proles praua* कदश्व kad-açva *malus equus.* ex *kad* factum est का kâ cf. Boppii Gl. Scr. s. u. काक्ष kâ-(a)ksha *uultus toruus* काग्नि kâ-(a)gni *parum ignis* काजल kâ-g'ala *parum aquae* कापाथ kâ-pâtha *uia mala.* किम् kim, proprie idem quod *kad,* particula interrogandi: किंराजन् ki-râg'an *num iste rex est?* = *rex malus* किमधीते kim-adhîtê *num legit?* = *male legit* B-RSW II 285 किंपाक ki-pâka *male maturus inmaturus* किंपुरुष ki-purusha *num iste est homo?* = *animans ex corpore humano et ferino concretum, simia* cf. B-RSW II 288. कम् kam legitur rarissime: B-RSW II 72 huc censent spectare कंसार ka-sâra *admodum firmam medullam habens* कन्दर kan-dara *ingens specus* कन्दर्प kan-darpa *amoris deus* h. e. *(deus) maximae superbiae.* — sequitur कव kava: कवपथ kava-patha *mala uia* कवाग्नि kavâgni *parum ignis* कवोष्ण kavôshṇa (ex kava + ushṇa) = कदुष्ण kad-ushṇa कोष्ण kôshṇa (ex kâ + ushṇa) *male calidus* h. e. *tepidus.* denique कु ku: कुकथा ku-kathâ *narratio mala* कुकृत्य ku-kṛtja *male factum* कुगो ku-gô *debilis taurus* कुजन ku-g'ana *malus homo.* iam facile elucebit exemplis his et similibus probari non posse a pronomine interrogatiuo *ka* deminutiuum *ka* oriundum fuisse. primum ista sententia eo maxime dubia fit quod illud genus conpositionis mirum, quo pronomen interrogatiuum nomini conectitur ad adfectum quemlibet subiecti exprimendum, Indicum quidem est, id quod exemplis modo adlatis efficitur, neque tamen Indoeuropaeum, cum exempla huius modi uel similia in ceteris linguis cognatis plane desint. de *caecus* = *ka-ocu-s* (Pott. I 166) et similibus u. GCurtii GrEt I 41. quin ut illud genus conpositionis sit Indoeuropaeum, significatio illorum conpositorum non ea est qua ut deminutionis adfectum plane et distincte intellegamus

Digitized by Google

opus est. nam contemptum quidem designant nomina illa conposita neque tamen umquam, si quid uideo, deminutionem. at isti 'tu ipse' inquiunt 'supra deminutioni genus *καταφρονητικὸν* uindicasti : nonne hoc fuit primitiuum? nonne hoc illis Sanscritis accurate respondet?' minime! nos sedate respondemus, deminutio *μειοῦσα* est primitiua, unde genus *ὑποκοριστικὸν* et *καταφρονητικὸν* declinata sunt, quod cum ex multis aliis et grauissimis causis tum uel inde patet quod 'parui' notio deminutionis *μειούσης* multo magis rebus ipsis inhaerens est quam 'mali' seu 'cari' notiones, quae cogitatione sola percipi possunt. nam huius modi notiones, quas nunc 'abstractas' nominare solemus, ex illis, quas 'concretas' dicunt, facillime ducuntur, illae uero ex his numquam.

Sed ne 'contemptus' uis quidem illorum Sanscritorum conpositorum primitiua fuisse uidetur. cf. B-RSW II 303 *ursprünglich hob* कु *ku nur das auszerordentliche auszergewönliche einer erscheinung hervor* 46 कद् *kad hebt, indem es die angemeszenheit des gebrauchten ausdrucks in frage stellt, das ungewönliche auffallende abnorme mangelhafte einer erscheinung hervor.* item II 72. quibus significationibus tantum abest ut sententia istorum commendetur ut maxime refutetur et inprobetur. denique uix est quod his omnibus expositis addam, nobis non probari quae Pottius KZ I 104 de origine pronominali deminutiuorum suffixorum Persicorum *ak* et *k'ah* coniecit.

a *Graecolatina suffixa* non reperiuntur.

b *Graeca.*

KO forma primitiua est, cui A I E O V uocales antecedunt ut suffixum stirpi conectant.

1 A *ακ–ς* = *αξ* suffixum rarum in primis, ut uidetur, sermoni plebeio familiare, *λίθαξ* (*λιθός* Dion. Thrac. 635) *Ῥόδαξ ὁ Ῥόδιος*, *πλούταξ ὁ πλούσιος* (schol. Dion. Thrac. 855) *θύνναξ–ᾶκος* (*θύννος*) *βώμαξ ὑποκοριστικῶς ὁ βωμός* Bekk. Anec. 85 *θαλάμαξ* (*θαλαμιός*) *στώαξ στόμφαξ ψύλλαξ ψύλλα* Hes., *θρόναξ* (*θρόνος*)· *τὸ ὑποπόδιον* i. q. *θρῆνος*, *δρύαξ· δρῦς ὁ δρύοχος*, *πάσσαξ ὁ πάσσαλος λέγεται καθ'*

Digitized by Google

ὑποκορισμόν Eust. 540 a πάσσος 1349, μύαξ a μῦς. cf. Lobeck. ad Phryn. 433 ss. PP. 446. JBudenz. de suff. κος 72.

2 I ι–κ–ς uel ι–κο–ς. haec forma in sermone Graeco [19]
non reperitur (an κύλιξ a κύλη huc spectat? cf. Budenz. l. c. 72) nisi uel mutationibus uel augmentis quibusdam adfecta, ut formae tres prima nasali addita et littera gutturali tenui in mediam emollita ι–γ–γ altera aspirata ιχο tertia elemento spirante corroborata ι–σ–κο existant.

a) ιγγ–ς forma rarissima : λᾶϊγξ, ιγγος (λᾶας) κύστιγξ [20]
(κύστις) φῦσιγξ ψᾶφιγξ Budenz. de suff. κός 84.

b) ι–χο–ς fem. ι–χη. hoc suffixum deminutioni in K [21]
subiungendum esse certum, etiam si de explicanda littera χ aspirata dubitatur. Schweizerus KZ II 294 arbitratur χ loco duarum consonarum σκ positum esse, ut ιχο idem sit quod ισκο nr. 22. de S aspirationem efficiente consonae uicinae u. Kuhnium Z III 327. sed haec speciosior quam uerior coniectura esse uidetur. id quod simplicissimum est, putare aspirata littera CH Graeca Indoeuropaeam K conpensari maiores dubitationes excitat quam ut in hac sententia lubenter adquiescamus. tamen illius antistoechiae exempla ἐννύχιος et νύξ λύχνος et λυκόφως ἀμφιλύκη KZ II 272 adnotentur. neque inde illud χ explicari potest quod Boeotorum maxime ιχο deminutiuum proprium fuerit, quippe qui aspiratione uterentur quidem, cf. Ahrens. de dial. I 168, nec tamen ei magis quam ceteri Graeci indulgerent. Boeoti hoc suffixo frequenter nominum propriorum hypocorismos formabant rarius Dorienses rarissime Attici. exempla sint Ἰσμήνιχος Arist. Ach. 925, qui ibid. 807 Ἰσμηνίας adpellatur, similiter Ἀμύντιχος et Ἀμύντας de eodem homine Theocritus VII 2. 132 dixit, Σωτήριχος Σίμιχος Σιμίχη Ὀλύμπιχος Θερσάνδριχος Θεοδώριχος Λεόντιχος Διονύσιχος Κόννιχος Λάμπιχος Ὀνάτιχος : Ὀνάτας = Ἀμύντιχος : Ἀμύντας, Σωσίχη. pauca exempla nominum adpellatiuorum extant ὀσσίχος ὀρτάλιχος κάδδιχος τοσσίχος. πύῤῥιχος ἀπὸ τοῦ πυῤῥός κατὰ παραγωγήν. τινὲς παροξυτόνως λέγουσιν. ἔστιν οὖν ὑποκοριστικὸν αἰολικῶς schol. Theocr. IV 20. ἄστριχος (ἄστρις = ἀστρά–

Digitized by Google

γαλος) ἀρύστιχος· σκεῦος ᾧ ἀρύονται οἶνον· ὁ δὲ κύαθος μέτρον τι Bekk. An. I 27. *βότρυχος* et *βόστρυχος* = *βότρυιχος* a *βότρυς*. cf. nr. 48 d. cf. Boeckh. ad C. J. I 725. Ahrens de dial. I 216. Lobeck. PP. 336 ss. Koen. ad Greg. Cor. 290. JBudenz. de suff. *κος* 76, qui de huius suffixi origine maxime inprobabilia coniecit.

[22] c) *ι–σ–κο–ς* fem. *ι–σ–κη*. equidem cum Boppio VglGr. § 951 contendo hoc suffixum esse simplex et ex *i-ka* deriuandum, cui spirans littera S euphoniae causa addita sit. simillime in dialectis Germaniae inferioris ante terminationem deminutiuum S inseritur, de quo Woestius KZ IV 135 accurate disputauit : *bäuk-s-ken libellus aige-s-ken oculus.* simillime S in Russicis suffixis deminutiuis *i-sh-ko* uel *i-sh-ka* fem. *u-sh-ka* neutr. *u-sh-ko* et in Lusaticis *e-sh-k u-sh-k* (Seileri gr. Lus. 25) extat : Grimmius gr. III 701 eodem modo etiam suffixa Polonorum *c'ek* = Germ. *tschek*, cui Lusatorum *-c'k -uc'k* et Russorum non nulla, quae supra p. 46 inter deminutorum deminutiua attuli, cognata sunt, explicauit, sed cum C' (tsch) ex K oriri soleat, rectius illa suffixa putabimus ex gemina K deminutiua conposita esse. denique Lituanica quoque lingua suffixum *iszkis* (*iszkjas*) ad hypocoristica formanda adhibet, cuius forma magis primitiua sine dubio sibilante littera caruit. cf. Curtius KZ VI 87. praeterea de epenthesi litterae S, quae maxime ante litteras gutturales inuenitur, cf. Boppii gr. sanscr. min. p. 62 Schleicheri LitGr. 72 Beitr. z. vgl. spr. I 49 KZ I 143.

Quae Pottius EF II 45 et Benfey WL I 235 de suffixo *ισκο* cum stirpibus *εἰκ εἴκειν* uel îksh conectendo coniecerunt inprobanda sunt : cf. GCurtii GrEt. I 32 : item quae Schweizer. KZ III 383 et LMeyer. KZ VI 381. 9 temptarunt. reperiuntur fere centum octoginta exempla huius formationis, quorum plurima sunt generis masculini, *ἀβακίσκος αἰγίσκος ἀκολουθίσκος ἀλεκτορίσκος ἀσπιδίσκος ἀστραγαλίσκος κλαδίσκος καλαμίσκος κοτυλίσκος μαγειρίσκος πασσαλίσκος σανδαλίσκος*, pauca feminini generis *ἀσπιδίσκη θριδακίσκη κορίσκη κυλίσκη κυνίσκη Λαμίσκη λεκανίσκη μειρακίσκη μυΐσκη μαζίσκη*

Digitized by Google

θυΐσκη οἰκίσκη παιδίσκη παρθενίσκη σινδονίσκη σκιαδίσκη στεφανίσκη ὑδρίσκη Φανίσκη, neutri generis in *-ισκον* ne unum quidem. cf. infra suff. conpositum *ισκ-ιον* nr. 47.

Haec Graeca terminatio *ισκο* ter quaterue a Latinis uocabulis linguae suae adfixa est, cf. *marisca lentiscus scordiscum*: sed deminutiui nihil his uerbis inesse uidetur. exempla *Syriscus* (cf. Ter. Adelph. V 1, 1) *Paniscus Satyriscus* (Cic. de Diu. I 20, 30) *calathiscus* (Catull. LXIV 320) in hanc rem non cadunt, cum ea uere Graeca sint. cf. Vossii Arist. I 817 (697 Eckst.) et quem citat, Salmas. ad Sol. 1127. — at quo modo res est de *scutrisco* apud Varronem RR 11. 12 et de *mollusca nuce?* de priore uocabulo dubitari potest num deminutiuum sit, de altero non potest, cf. Macrob. Sat. II 14 *mollusca nux dicitur, quod omnibus nucibus mollior sit.*

3 *E εκ* forma uno solum exemplo probata, *ἀλώπηξ*, [23]
εκος, quod GCurtius GrEt I 324 indicauit. cf. apud Hes. *ἀλωπός* et *ἀλωπά ἡ ἀλώπηξ* et Lituanicum *lape uulpes lapuka-s uulpecula*, quocum Graecum uocabulum optime consentit. Aetatibus Latinae linguae posterioribus talia deminutiua hibrida saepius formata esse uidentur, unde formas non nullas linguae Hispanicae originem duxisse ueri simile est, adi. *negrusco pardusco (a pardo canus)* et uerb. *mordiscar (= mordicare beiszeln)* Diezii RGr. I 308. 333.

4 *Υ υχ? υγ? σπινθάρυγ-ς scintilla?* cf. *σπινθῆραξ*. — [24]
Ἀβρώνυχος ab *Ἄβρων* praeter *Ἀβρώνιχος*.

c *Latina.*

Lingua Latina suffixum CO deminutiuum simplex plane [25]
fere abiecit. pauca enim eius et leuia solum uestigia adparent, primum in uerbis aliquot, quibus iam Flauius Vrsinus sensum deminutiuum attribuit, cf. Ruddimanni Inst. LL I 294 et Vossii Arist. II 176 (906 Eckst.): *albico nigrico fodico uellico (mordico splendico)* = Germ. *weiszeln röteln zupfeln.* deinde nominibus non nullis elementum illud K deminutiuum inesse uidetur: *sen-ec-s* (genet. *sen-is*, *sen-ium*), *nas-ica nouer-ca καταφρονητικῶς*: de quibus GCurtius KZ IIII 215 dis-

Digitized by Google

putauit. — denique hoc CO optime linguis Romanis probatur. Hispani enim Lusitani Valachi qui nunc sunt suffixo *ico* ad deminutiua formanda utuntur et adiectiuorum et nominum et uerborum : Hisp. *bueno bonico moreno morenico ciego cieguecico*, *animal animalico asno asnico barba barbica.* cf. Diezii RGr II 250. 326. — accedit, quod maxime notabile est, ut linguae Romanae liberiorem usum K deminutiui seruauerint. nam K deminutiuum praeter illam formam *ico* non solum in terminationibus *cello cillo*, quod consuetudine Latina potest facillime explicari, ut It. *don-zello* Gall. *dem-oiselle* Hisp. *hombrecillo* usurpant, sed etiam ad formas deminutiuas tales corroborandas quibus lingua Latina numquam usa est, ut puta Hisp. *ave-cica* Val. *vĕl-cicĕ* Ital. *barbi-cina* Lus. *animal-zinho* Ital. *uom-iciatto* Hisp. *mugercita.* Diezii RGr. II 225.

III PER ALIA ELEMENTA FORMATA

a *Graecolatinum.*

[26] *α*) *ιων* genet. *ιων–ος* masculini generis. num forte Orus grammaticus hanc terminationem significat apud schol. Dion. Thr. 857 Ὦρός φησιν ὅτι καὶ ὁ εἰς ν̄ ἐστὶν ὑποκοριστικὸς τύπος οἷον *** (lacuna in cod.)? rara est terminatio, cf. *Ἀττικίων* Aristoph. Pac. 214 *δειλακρίων* Pac. 193 Au. 143 *μαλακίων* Eccl. 1058, praeterea Matthiae gramm. 217 nomina propria *Αἰσχρίων Ἡετίων Σατυρίων* similia illis adiunxit.

[27] b) *iōn* raro deminutiua format : nec tamen haec uis huius terminationis primitiua fuisse, sed ex alia qualicumque potestate deminutioni cognata manasse uidetur : exempla sint, *pusio pumilio damalio ardelio secundio Quintio Sextio Celerio Ventrio Pitio Rullio Satullio Capitio Primio*, Pott. EF II 589.

b *Graeca.*

[28] 1 *ιο–ν* neutr. gen. suffixum ex omnibus Graecis longe frequentissimum, cum amplius septingenta uocabula eo deminuta iuueniantur. exempla sint *ἀβάκιον ἀδέλφιον ἀηδόνιον*

Digitized by Google

ἀϑυρμάτιον αἱμάτιον ἀμπέλιον ἀνϑρώπιον ἀράχνιον ἁρμάτιον ἀρνίον βαλάνιον βιβλίον γαλάκτιον γερόντιον γεφύριον γονάτιον γυναίκιον διφρίον δοράτιον δραχμίον λόφιον ζωνίον ϑρομβίον ϑύριον ἱμάτιον καλάμιον καλύκιον καρπίον καυκίον καυλίον κέρκιον κηπίον κιόνιον κλαδίον κλειδίον κληρίον κογχίον κοκκίον κόμιον κοράκιον κορύϑιον κόσμιον κυάμιον κωνώπιον Λεόντιον ἡ, λιγκίον λυχνίον στῖον = στίϊον, Γλυκέριον ἡ, μαμμίον Νάννιον ἡ, νευρίον νεφέλιον νήττιον ἀβραμίδιον ἀκρίδιον ἁλουργίδιον ἀσπίδιον αὐλητρίδιον γογγυλίδιον ϑεραπαινίδιον κηκίδιον ἐμβάδιον ἰσχάδιον, de accentu diuerso u. Buttm. Gr. ampl. II 440 Lob. indicem satis uberem deminutiuorum hac terterminatione praeditorum u. apud schol. quendam Dionysii Thracis 795 Bekk. (excriptum a Schaefero quoque ad Greg. Cor. 28. 29). — facile adparet uocalem I elementum huius suffixi principale esse. neque Graeca unica lingua Indoeuropaea est, quae I uocali deminuente utitur. hodieque enim Germanorum et Batauorum linguae I illud deminuens seruarunt. cf. Heluet. *-i* et *-ji (-ti -tschi) aug äugi fuesz füeszi hand händi; berg bergji chalb chalbje meil meilji vogel vögelti löffel löffelti fülli (pullus equi) füllschi fülltschi*, Batau. *-je -pje -tje schapje, kalf kalfje, bloem (flos) bloempje, juffer (uirgo) juffertje* : Grimmii gr. III 685. exempla ex uetere Germaniae superioris lingua Grimmius I 631 conlegit et tractauit, *fugelî (auicula)* genet., *N* inserto, *fugelines, eimberî (urnula)* ab *eimpar (urna) magatî (uirguncula)* a *magat, fingirî (digitulus)* a *fingar (digitus)*. — in lingua Sanscrita suffixum इय ija extat, quo, si et formam et sensum spectamus, Graecum *ιο–ν* conpensari uidetur. ad hypocorismata enim nominum propriorum formanda adhibetur, cf. Bfy. gr. § 561 ad III. IV : ut exempla pauca adferam, a देवदत्त dêvadatta descendunt deminutiua देविय dêvija et दत्तिय dattija, a बृहस्पतिदत्त bṛhaspatidatta declinatur बृहस्पतिय bṛhaspatija, a उपेन्द्रदत्त upêndradatta fit उपिय upija, ab अर्यमात्त arjamâtta अर्यमिय arjamija, a सिंह siha सिंहिय sihija, a व्याघ्राजिन vjâdhrâg'ina

Digitized by Google

व्याध्रिय vjadhrija. de adfectu stirpium u. supra p. 10 infra nr. 59. ad formam quod attinet, spirans littera J inter uocales duas extrusa est, quod saepissime in sermone Graeco factum esse GCurtius KZ II 154 demonstrat: itaque accurate i(j)a et *ιο* sibi respondent. neque huic sententiae ratio diuersa generis obest: nomina enim Sanscrita masculini generis sunt *dêvija-s dattija-s arjamija-s*, Graeca contra deminutiua neutrius generis. nam certissimum est antiquissima linguarum Indoeuropaearum aetate deminutiua semper genus uocabulorum primitiuorum seruasse religiose, quam rationem linguae Sanscrita Latina Gothica non mutarunt, sensim autem et pedetemptim genus neutrum praeualuisse, quod in Germanicis et Graeca linguis adparet. itaque Scr. *i(j)a-s* : Gr. *ιο-ν* = Goth. msc. *ila (magula = magvila* Gr. III 666*)* fem. *ilô (mavilô)* neutr. *ilô (barnilô)* : Germ. *lein (männlein fräulein kindlein)*.

[29] 2 *α*) *ῐδ* et *ῑδ* fem. gen. suffixum satis frequens. exempla quorum uocalis *ι* correpta est, multo frequentius inueniuntur quam quibus producta insit, *θυρίς-ίδος θυλακίς-ίδος θρονίς-ίδος θριδακινίς-ίδος ἁμαξίς-ίδος λαβίς-ίδος λεκανίς-ίδος λεπίς-ίδος μαχαιρίς-ίδος σεληνίς-ίδος σκαφίς-ίδος σκυτίς-ίδος*. — productam uocalem demonstrant *νησίς-ῖδος κρηνίς-ῖδος πλοκαμίς-ῖδος σπανίως ἐπὶ ἀνδρός* sed plerumque de feminis, muliebres enim res non numquam deminutiue adpellari Lobeck. PP. 445 demonstrat, *ῥαφανίς-ῖδος ψηφίς-ῖδος*. utra forma suffixi, *ῐδ* an *ῑδ*, magis primitiua fuit? adsentior Budenzio, qui formam producta uocali praeditam utriusque antiquiorem esse censet, unde *ῐδ* suffixum correptione ortum sit, de suff. *κός* p. 86. huius terminationis potestatem innatam non fuisse deminutiuam haud difficile est intellectu. at quaeritur quonam modo suff. *ιδ* deminutiuis formandis aptum factum sit. duplex explicandi ratio nobis offertur. *ιδ* deminutiuum enim aut ex suff. *ιδ* nomina cognationis uel affinitatis declinante aut ex suff. *ιδ* feminina ex masculinis mouente duci potest. utraque ratio aliquid

Digitized by Google

commendationis deminutionis natura considerata et linguis cognatis conparatis accipit. — suffixa enim nomina cognationis declinantia in Germanica quoque lingua interdum ad deminutiua formanda adhibentur : *-ing -ling :* Grimm. gr. II 349. 364 III 682. contra suffixa feminina formantia iam in lingua Sanscrita ad deminutiua deriuanda usurpantur, cf. Th. Benfey Scr. gr. ampl. § 705, c; quod si feminini generis naturam respicimus, aptissimum uidetur : cf. Grimm. gr. III 359 : exempla sint पिपिलिका pipilikâ *formicula rubella* Benfey Gl. Chrestom. 191, अभ्रलिप्ती abhraliptî fem. dem. ab अभ्रलिप्त abhralipta *nubibus obductus :* cf. FBoppii Scr. gr. min. 217 Benfey Scr. gr. ampl. § 692, 5 et 900, मृणाली mṛṇâlî *fibrula loti* a मृणाल mṛṇâla *fibra loti*, cuius suffixi Î sine dubio cum Graeco suffixo ῑδ, quod tractamus, arte cohaeret, etiam si ratio differentiae utriusque suffixi nondum satis cognita et perspecta est : cf. Boppius VglGr. I² 248 Benfey KZ VII 125 Budenz l. c. 89, cuius explicationem p. 63 inprobo.

b) *αδ* feminini generis? terminatio maxime dubia, quamquam technicorum ueterum non nulli hoc suffixum deminutiuum adgnouisse uidentur, quod facile ex Eustathii refutationibus concludere licet p. 1768, 10 *τὸ Μαίας οὐκ ἔστιν ὑποκοριστικὸν ἀλλὰ πρὸς διαστολὴν τῆς ἁπλῶς μαίας* et 1944, 49 *τὸ λιθάδεσσι δηλοῖ ὡς οὐκ ἐξ ἀνάγκης ὑποκοριστικὴ ἡ λέξις.* cf. Lob. PP. 445.

3 *φο.* huic suffixo expectamus respondere Indoeuropaeam formam *bha*, quod suffixum taddhiticum in lingua Sanscrita reperitur : hoc *bha* et Pottius EF II 498 et Benfeius WL II 101 et Legerlotz. KZ VIII 52 conectunt cum Graeco *φο*, quod facile acciperem, dum modo exempla satis apta et certa Sanscrita attulissent, quibus aut deminutiua aut quaeuis alia uis deminutioni cognata certo inesset. — illud *φο* Graecum, quod raro simplex, saepius cum aliis suffixis deminutiuis coniunctum reperitur, uocales A I V stirpi conectunt. [30]

Digitized by Google

[31] a) Α *α–φο–ς* : *ἐγκίλλ–α–φο–ς caudula* ab *ἔγκιλλος· οὐρά* Hes., *κίλλ–α–φος* a **κίλλος motacilla* ut *κίλλ–υρο–ς motacilla* Hes. : hanc enim cod. lectionem optimo iure Lobeckius. PP. 277 tuitus est. cf. *οὔλαφος· νεβρός* Hes. *ἔλ–α–φος* : *ὡς ἐλλός ἔλαφος, οὕτω κόρση κόρταφος καὶ κρόταφος* Schol. A. ad Il. IV 502. *ἐλλός* non est *ceruus* sed '*cerui pullus*', lexicographi enim docent *ἐλλός· τὸ νεογνὸν τοῦ ἐλάφου* et Etymologus Magnus 331, 58 hac u. *ἐλλός* ui permotus *ἐλλός ἡ ἔλαφος* inquit *ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τοῦ ἔλαφος*. nonne *ἐλλός* ipsum deminutiuum est, ut pro *ἐλ–α–λος* sit, quam formam studium lambdacismi uitandi contrahere coegit? ualde dubia haec quidem sententia sed tamen probabilior est, quam quae de significatus huius uocis uicissitudine a Legerlotz. KZ VIII 51 prolata est. *κίρ–α–φο–ς uulpecula* a *κίρα· ἀλώπηξ* Hes. et *κιδ–α–φη* et *σκιδ–ά–φη ἡ ἀλώπηξ*.

[32] b) Ι *ι–φο–ς* : *ἔρ–ῐ–φο–ς haedulus μορ–ι–φό–ς· σκοτεινός μέλας* Hes., ut sit *morulus* Plaut. Epid. V 5, 10. fortasse conparandum nomen *Μόριχος Nigrio* nr. 21.

[33] c) Υ? *υ-φο-ς* : *ἄργ-υ-φο-ς* conf. nostrum '*weiszlich*', *κόσσ–υ–φο–ς* a *κόττος ὄρνις* Hes. cf. *κόψ–ῐ–χο–ς* Lob. PP. 337 et Latini uocabuli, quod eandem auem significat, '*merulae*' terminatio deminuens.

[34] 4 *ῑνο–ς ῑν–ης*, fem. *ιννα*. Etymol. magn. 793, 43 *τὰ διὰ τοῦ ινος ὀνόματα ἢ κύρια εἰσιν ἢ ἐθνικά, οἷον Σκοπελῖνος Ἀκραγαντῖνος, ὁ πολίτης· ἢ ἐπίθετα, ὡς τὸ ῥηγῖνος ὁ δεινός, ἢ προσηγορικά ἐχῖνος γελασῖνος· ἢ ὑποκοριστικά, οἷον φιλῖνος, ταῦτα δέ, εἰ μὲν ἀπὸ ὀνόματος παραχθῶσιν, ἢ ἀπὸ εὐθείας ἢ ἀπὸ γενικῆς παράγονται, φίλος φιλῖνος* [*amasiunculus*], *ἀγαθός ἀγαθῖνος* [*bellus*], *ἀπὸ τῆς πάλλακος παλλακῖνος* [*ex pellice ortus*, quasi *παλλακιδεύς* deminutione aetatem respiciente], *εἰ δὲ ἀπὸ ῥήματος ἢ ἀπὸ ἐνεστῶτος ἢ ἀπὸ μέλλοντος· ἔχω ἐχῖνος· πραξῶ πραξῖνος*. cf. Lob. PP. 210 sqq., qui Arcadium quoque citat, *τὰ εἰς ινος τὸ ῑ μακρὸν ἔχοντα κύρια ἐθνικὰ ἢ ἐπιθετικὰ ἢ ὑποκοριστικῶν ἔννοιαν ἔχοντα περισπῶνται φιλῖνος κρατῖνος ἐχῖνος λεοντῖνος ῥηγῖνος*. Etym. M. 243, 49 *γυρῖνοι· οἱ μικροὶ βάτραχοι· παρὰ τὸ γυρὸν τὸ*

Digitized by Google

περιφερές· τοιοῦτοι γαρ εἰσίν. Arcad. p. 65, 16 *ἐχρῆν καὶ τὸ γυρῖνος προπερισπᾶσθαι, ὁ μικρὸς βάτραχος.* alia de hoc uoce u. in Thes. HSteph. Paris II 833 D. praeterea notetur uelim *κορακῖνος coruulus* = *κορακιδεύς* magis ad aetatem quam ad magnitudinem respiciens, *γλαύκινος subcaeruleus πελεκῖνος securicula architectorum Ζωπυρῖνος Zopyrulus* Coraes. Atact. III 250. ad formam femininam *ιννα* quod attinet, Ruhnken. ad Callim. fragm. XL p. 184 ed. Blomf. Bast. ad Aristaen. 632 Matthiae in gramm. 217 nomina *Κόριννα Ἤριννα φιλίννα* ei subiungunt : quibus adde *Μαλάκιννα* Hes. Lob. PP. 225. forma *ινης* exemplis paucis probatur *ἐλαφίνης ἀχαΐνη* (*ἀχαιίνης*) *σπαθίνης*, quae tria uocabula *ceruulum* significant, *ὀξίνης acidulus, ὀρφακίνης pisciculus quidam, μικρὸς ὀρφώς* Athen. VII 315 Eustath. p. 1729, 49 *ὁ νέος ὄρφος ὑπ' ἐνίων ὀρφακίνης ὑποκοριστικῷ τύπῳ.* accedit ut in inscriptionibus Latinis temporum posteriorum *-inus* adhiberi paene deminutiue uideatur ut duorum fratrum (natu) minor significetur : Pott. Personn. 200. ut exemplo utar, in inscriptione eadem duorum fratrum alter *C. Iulius Rusticus* alter *C. Iulius Rusticinus* adpellatur, cf. Neigeb. Dac. 51. praeterea in Diefenb. gloss. 384 *nuga nugina nugella ein lugen.* Pottius eodem modo nomina *Augustalininae* et *Augustalinii* explicat, quae in inscriptione apud Kleinium in Annal. Heidelberg. 1852 p. 587 leguntur. — hic adfectus linguae Latinae uberrime in linguis Romanis pullulat : Ital. *bello bellino galante galantino parlante parlantino : beretta berettino nipote nipotino donna donnina* : cf. F. Diezii RGr II 275, qui rectissime iudicauit deminutionis uim huius suffixi ex potestate 'cognationis', quae item ei infuit, deriuatam esse. cf. *sororinus* h. e. sororis filius, *libertinus, amitinus, Latinus, Agrippina (Agrippa) caninus uulpinus diuinus,* Graec. *παλλακῖνος* uide supra, *Ταραντῖνος Ἀμοργῖνος Ἀδρηστίνη* (*Ἄδρηστος*) *Νηρίνη* (*Νηρεύς*) *Ὠκεανίνη* (*Ὠκεανός*), Lit. *varnénas κορακιδεύς* a *várnas coruus, karaliúnas regis filius regulus kronprinz* a *karálius rex, seserénai sororis liberi* a *sesű* g. *sesèrs soror* Pott. EF II 579 *Tilžénas Tilsanus* a *Tilžė Tilsa.*

Digitized by Google

B SVFFIXA SIMPLICITER CONPOSITA

I L ET L CONPONVNTVR

a *Graecolatina*
et b *Graeca* exempla non extant.

c *Latina.*

Primum deminutiua in *illo ello ullo* ea huc referenda sunt, quorum, cum duplicato suffixo *ulo* formata sint, forma primitiua *ul-ulo* fuit. cf. nr. 17. 13. 5. deinde adnotentur tres formae *ullulo ellulo illulo* *).

[35] 1 *ullulu-s* fem. *ullula : homullulus (homon-ulus homullus) medullula.*

[36] 2 *ellulu-s* fem. *ellula* : *agellulus asellulus bellulus catellulus cultellulus lamellula libellulus puellula puellulus rubellulus sellula stellula tenellulus :* horum quae enumeraui exemplorum suffixa sunt duplicia : *agellulus* enim est *ager-ul-ulu-s asellus asin-ul-ulu-s* cf. nr. 12. aliter res se habet de *arcellula cistellula unguellula ocellulus* quorum suffixa sunt triplicia : nam *arcella* est *arc-ul-ul-ula unguellula ungu-ul-ul-ula,* cf. nr. 57.

[37] 3 *illula-s* fem. *illula : lapillulus capillulus, ancillula pauxillulus pusillulus (sigilliola)* cf. nr. 16. 17.

II K ET K NON CONPONVNTVR

III K ET L CONPONVNTVR

a *Graecolatina*
et b *Graeca suffixa* non reperiuntur.

c *Latina.*

[38] 1 *culu-s* fem. *cula* neutr. *culu-m.* de hoc suffixo Priscianus p. 611—614 optime scripsit, qui etiam si causas rerum

*) cf. Prisc. 615 *quae uero geminant L ante VS uel LA uel LVM in VLVS VLA VLVM iterum faciunt deminutiuum, ut homullus homullulus pauxillus pauxillulus -a -um.*

Digitized by Google

saepe non perspexit nec pro aetatis suae in rebus etymologicis inprudentia perspicere potuit, tamen res quidem ipsas satis plene conlegit et exemplis inlustrauit. fere quadringenta uocabula maximam partem tertiae uel quartae uel quintae declinationis, qua de re iam supra p. 34 dixi, suffixo *culo* deminuta reperiuntur, quod ex *co* nr. 25 et *lo* nr. 1 conpositum esse certissimum : Pott. EF I 138 II 512. ut disputationem nostram recte instituamus opus est exempla pro stirpium diuersitate digerere. a) ex stirpibus in I desinentibus declinantur *aui-cula (aui) auri-cula (auri) api-cula (api) leui-culus nepti-cula breui-culus amni-culus acri-culus lintri-culus cani-cula febri-cula forti-culus securi-cula reti-culum angui-culus ungui-culus pingui-culus tenui-culus suaui-culus monti-culus sorti-cula.* b) quae ex stirpibus in V oriuntur deminutiua stirpis uocalem finalem in I mutant, *articulus (artu) aditiculus (aditu) cincticulus (cinctu) curriculus flucticulus gesticulus quaesticulus sensiculus uulticulus uersiculus manicula (manu) anicula (anu), corniculum (cornu) geniculum (genu) uericulum (ueru,* etiam *ueruculum* cf. KZ II 210). his adiungimus *sucula,* cuius uox primitiua uulgo non tam declinandi rationem uocabulorum in V quam in I sequitur, et *bucula* ex *bo(v)-cula* contractum, cuius barbara forma '*bosculus ein klein ochslin*' in Diefenb. gloss. med. lat. 79 reperitur. c) ex deminutiuis, quorum stirpes in consonas litteras exeunt, primum non nulla adferam, quae a primitiuis in S ueniunt, *altius-culus (altios) grandius-culus (grandios)* et cetera a conparatiuis declinata, cf. supra p. 21, quorum O ante duas consonas sequentes in V obscurata est, cf. Dietrich. de uocal. quibusd. adf. p. 6 Corssen. LA I 265. idem obseruamus in his *rumus-culus (rumos) lepus-culus (lepos) arbus-cula (arbos) corpus-culum (corpus) fenusculum pecusculum pectusculum frigusculum munusculum* (stirp. *munos munus* genet. *munus-is = muneris) holusculum latusculum opusculum ulcusculum pondusculum uulnusculum, plusculus masculus uasculum musculus iusculum cinisculus (cinis-is = cineris) puluisculus, osculum* στομάτιον, sed *ossiculum* ὀστάριον, cuius stirps in uo-

calem exit, cf. Kuhn Z III 325 LMeyer KZ V 379. illis exemplis, quorum terminatio *usculu-s* optimam habuit causam, scriptores aetatis inferioris seducti sunt ut deminutiua eius modi a uocabulis quorum stirpibus S non inest declinarent, uerbi causa *bonuscula (bono) lacusculus (lacu) herbuscula (herba) ramusculus (ramo) pomusculum (pomo) domuscula (domo).* ultimo loco pono *iecusculum*, quod uocabulum bona Ciceronis autoritate defensum dubium est quo modo explicandum sit, cum ignoretur num R nominatiui *iecur* genet. *iecinoris* primitiuum (cf. Graec. ἧπαρ Scr. यकृत् jakṛt) an ex S ortum sit, quod mihi ueri simile est. cf. Aufrecht. KZ II
[39] 147. d) a stirpibus in R fiunt haec, *amator-culus anser-culus asser-culus cicer-cula fraterculus uxorcula matercula imperatorculus? passerculus paterculus pauperculus uerculum*, falso formatum *puerculus* pro *puericulus* a stirpe *puero*. his adiungo *mel-culum*, cuius loco *melli-culum* expectamus. e) a stirpibus in N ueniunt *actiuncula (action) aedificatiuncula (aedification) aratiuncula adsentatiuncula auditiuncula calabarriunculi caruncula (caron* Prisc. 684) *cantiuncula cohortatiuncula contiuncula pugiunculus pulmunculus lenunculus homunculus (homon) imaguncula (imagon), uirguncula (uirgon) pectunculus (pecton ?* sed a *ren ren-i-culus) curculiunculus amasiunculus*, in quibus O uocalis stirpis consonis NC sequentibus in V uocalem obscurata est, cf. Dietrich. de quibusd. uoc. adf. 6, Corssen. LA I 263. secundum analogiam illorum uocabulorum falso formata sunt *laguncula (lagena) mendaciunculum (mendacio,* quod in nominatiuo casu M adsumit, cf. *clan-culum) tuguriunculum (tugurio)*, falsissime autem, cum iis ne infuerit quidem umquam littera liquida, *furunculus κλεπτής (fur) feruunculus (feruor) ranunculus (rana) auunculus (auo) domuncula (domu) petasunculus (petaso = pileolus) statuncula -us (statua* Donat. 1747 Diefenb. gloss. 551). similium falso formatorum deminutiuorum numerus magnus in notis Tironianis glossariis ueteribus aliisque monumentis Latinis medii aeui legitur, *nucunculus (nuc) lembunculus (lembo) pannunculus (panno) pernunculus (perna)* '*pedunculus kleinfuszgin luyss*' (*ped*) Diefenb.

Digitized by Google

gloss. 421 (recte contra formatum est *pedunculus* a *pedon* Prisc. 614) '*sorbuncula suppe*' 543 '*sarcinuncula bu*ı*delin*' 512 '*renunculus klein nier*' 492 alia. de Romanarum linguarum formis similibus u. Diezii RGr. II 264 ss. cum, ut modo uidimus, terminatio horum uocabulorum *culo* sit neque *unculo*, Grimmius in gramm. II 347 fallitur, qui censet deminutiua ueterum Germanorum et Anglosaxonum in *inchil incle* Latinis in *unculo* exeuntibus cognata esse : nisi forte quae Grimmius idem eodem loco coniecit, sed statim reiecit de origine uere Latina illorum in *inchil incle* deminutiuorum uera sunt. f) stirpes in T formam *culo* recusant concursum litterarum TC euitaturae et simplex *ulo* adsumunt, *aetatula ciuitatula clientulus nepotulus infantulus paupertatula*, *merced-ula* (non nullae uocali copulatiua ascita suffixum *culo* seruant, *anat-i-cula teget-i-cula dent-i-culus cohort-i-cula cot-i-cula*) duo extrusa stirpis dentali littera idem faciunt *corculum* (*cord*) *lucunculus* (*lucunt*). g) sicuti coniunctio TC litterarum, ita etiam conpositiones CC et PC litterarum Latinis auribus ingratae uidebantur, qua re gutturales quoque et labiales stirpes aut *ulo* assumunt aut uocali copulatiua utuntur, *falcula* (male *falc-i-cula* ut *lanc-i-cula*) *appendicula audaculus calculus cicatricula didaculus feroculus forficula loquaculus nucula*, *pleb-i-cula trab-i-cula scrob-i-culus*. h) stirpibus in O et A desinentibus *culo* suffixum rarissime suffigitur, id quod iam supra significaui p. 34. repperi haec exempla *blandiculus* (*blando*) *agniculus* (*agno*) *farticulum* (*farto*) *seruiculus* (*seruo*) *histriculus* (*histro*) *apriculus* (*apro*) : *alicula* (*ala*)? *ollicula* (*olla*). i) contra *culo* stirpibus in Ê i. e. quintae declinationis constanter subiungitur, *diêcula rêcula spêcula* : quibuscum uocabulis uocabula tertiae declinationis in *ês* conponenda sunt, quae ex casu suo nominatiuo ê illam longam seruant, *nubêcula plebêcula* (a nomin. *plebês*) *sedêcula* (praeter *sedicula*) *ueprêcula uulpêcula labêcula trabêcula* (praeter *trabicula*, a nom. *trabês*), immo *strigilêcula* et *ouêcula* praeter *ouicula* citant. Cf. Prisc. l. c. *similiter* '*fidis fidi fidicula*'. *Cicero in II de ND* [*8, 22*] '*si platani fidiculas ferrent numerosa sonantes*'. *nam si esset* '*fides*'

Digitized by Google

in hac quoque significatione, quo modo Seruio placet, non 'fidicula' fecisset sed 'fidecula'. — denique adnotentur uerba deminuta *fissiculo pensiculo missiculo,* quibus quae uerba in linguis Romanis respondeant Diezius RGr. II 328 docuit, et aduerbia *clanculum (clam)* et *saepicule (saepe).* de mutata finali uocali u. *saepe* in I u. Ritschel. in Mus. Rhen. VII 582.

[40] 2 *cellu-s* fem. *cella cellu-m* et *cillu-s cilla cillu-m.* hae formae ex forma *cu* + *lo* duplici ortae sunt, cf. nr. 13 et 16 : *anicilla (anu anicula) auicella* (quamquam Varro LL. VIII § 79 hoc non adgnoscit) *blandicellus floscellus iuscellum modicellus mollicellus monticellus nauicella*, falsissime *flumicellum,* quod apud scriptorem paene barbarum inuenitur, pro *fluminiculum fluminicillum* formatum est, *caesticillus (caesto) moscilli (mos) opicillum*? *auricilla oscillum penicillus.*

IV L CVM ALIIS PRAETER K ET L ELEMENTIS CONPONITVR

a *Graecolatina suffixa* non extant.

b *Graeca.*

[41] 1 *υλλ-ιον* = *υλλο* nr. 3 + *ιον* nr. 28 uel *υλ-ιον* = *υλο* nr. 1 + *ιον* nr. 28 : hoc suffixum conpositum uicarium est suff. simplicis *υλλο-ν* uel *υλο-ν*, quod numquam reperiri uidetur : *κογχύλιον Ἡδύλιον ἡ, κονδύλιον* (*κόνδυλος κόνδος*), *ἀνθύλλιον βαρύλλιον βρεφύλλιον εἰδύλλιον ἐπύλλιον ζωΰλλιον κρεΰλλιον μειρακύλλιον ξενύλλιον* [*παιδαρύλλιον*] *Πριαμύλλιον φαγύλλιον.*

[42] 2 *αλλ-ιον* uel *αλ-ιον* = *αλλ* nr. 9 + *ιον* nr. 27. de hac rara terminatione, quae simplicis *αλλο-ν* loco usurpatur, infra disputabitur.

3 *ελλ-ιον* ex nr. 11 et nr. 27 conflatum : *κρικέλλιον* (*κρίκος*) *σακέλλιον* (*σάκος*) *μαργέλλιον*? — accedunt *φλαβέλλιον flabellum πατέλλιον patella φλαγέλλιον* et *φραγέλλιον flagellum* uocabula quae Graeci a Latinis mutuati sunt.

Digitized by Google

c *Latina.*

1 *ul-eus* ex *ulo* nr. 12 et *eo*, quo origo uel materia rei seu personae alicuius designatur, ut Sanscrito quoque *êja*, cui respondet, cf. Pott. EF II 502 Aufrecht. KZ II 210. suffixum est rarissimum, cf. Priscian. 618. *in 'aster' et 'cio' et 'leus' satis pauca reperiuntur in usu deminutiua et fere haec . . . . in 'leus' 'equus equuleus haec acus hic aculeus' 'oculus oculeus'*. quod exemplum ultimo loco posuit maxime dubium est. meliore contra iure illis adiunxeris *hinnuleus (hinno) nucleus* pro *nuculeo (nuc)*. [43]

2 *ul-ion* ex nr. 2 et nr. 27 ortum suffixum rarissimum : *tocullio* iocose a Cicerone ex Graeco *τόκος usura* ductum, *Graeculio·onis*? = *Graeculus*. [44]

3 *ell-ion ill-ion* : *rubellio-onis 'matellio deminutiuum a 'matula''* Paul. ex Fest. 126 M. *Nigellio primillio.*

V K CVM ALIIS PRAETER K ET L ELEMENTIS CONPONITVR

a *Graecolatina suffixa* non extant.

b *Graeca.*

1 *ακ–ιον* gen. neutr. ex nr. 19 et nr. 27 conflatum rarissime reperitur : *δελφάκιον μυάκιον* Hes. *συάκιον porcellus φλυζάκιον ψυδράκιον πιττάκιον μαννάκιον* (*μάννος*) *σπινθηράκιον καψάκιον* (*κάψα*) Hes. inde oriuntur deminuta in *ακι*, quibus sermo Graecorum qualis nunc est abundat, *ἀηδονάκι ἀδελφάκι βουάκι δενδράκι παιδάκι σανιδάκι.* cf. Lobeckii PP. 518. [45]

2 *ακ–νη ιχ–νη* fem. gen., *αχ–νο–ν* generis neutrius, ex nr. 19 uel nr. 21 et *νο* quod cum *ἴνο–ς* nr. 34 cohaerere ueri simile est, ut *πολίχνη* ex *πολιχίνη* ortum sit. *πιθάκνη doliolum* (*πίθο–ς*) : *ὑποκοριστικῶς λέγεται ἡ πιθάκνη κατὰ τὸ 'πολίχνη'* Schol. Aristoph. Plut. 546 et Eqq. 789, *πολίχνη oppidulum* (*πόλι–ς*) *κυλίχνη pocillum* (*κύλη*), praeterea *κυλιχνίς* ex nr. 19 et *ἰδ* nr. 29 conpositum. *πάταχνον· σκεῦος λοπαδίῳ ἐμφερές* Hes. deminut. uoc. *πατάνη*, *πάτανον* Hes., [46]

Digitized by Google

de *υχ-νιο* infra u. nr. 58. suff. *ιχ-ευς* ex *ιχ* nr. 19 et *ευ-ς* saepissime originem et cognationem indicante concretum in una uoce *ὀρταλ-ιχ-εύς* repperi.

[47ᵃ] 3 *ισκ-ιο-ν* neutr. gen. suffixum ex nr. 22 et nr. 27 compositum, quod suffixi *ισκο-ν* inusitati uice fungitur, *ἀγκωνίσκιον ἀσπιδίσκιον θυλακίσκιον κορίσκιον κοτυλίσκιον κυκλίσκιον κυλίσκιον λεκίσκιον λιμενίσκιον μαλακίσκιον μειρακίσκιον μελίσκιον πινακίσκιον πυργίσκιον τραγίσκιον τριποδίσκιον τροχίσκιον χιτωνίσκιον χλανιδίσκιον χλανίσκιον*, quorum uocabulorum maxima pars aut apud comicae poesis aut apud aetatis inferioris scriptores reperiuntur.

[47ᵇ] 4 *ισκ-ιλο-ς* suffixum ex *ισκο* nr. 22 et *ιλο* nr. 15 confectum, quod uno exemplo nititur. Laeuii enim Appuleius apol. 30 p. 294 Elmenh. p. 36 Bipont. hos uersus seruauit,

philtra omnia undique eruunt.
antipathes illud quaeritur,
trochiscili ungues taeniae
radiculae herbae surculi
sauri illices bicodulae
hinnientium dulcedines.

Codd. mss. legunt in tertio uersu *trochiscili* seu *trochissili* et *trochilisci.* illud Jos. Scaliger Casaubonus Bosscha Weichertus de Laeuio Grimae 1826 p. 28 (qui scite de usu deminutiuorum apud poetas Latinos antiquiores ibid. p. 16 et de Licin. Caluo p. 26 disputauit) optimo iure probarunt. *trochiscilus* est enim Graecum *τροχισκίλος rotella*, quod a *τροχός rota* descendit.

c *Latinum.*

cion = *co* nr. 25 + *ion* nr. 26 : *homuncion sen-ec-ion* cf. Curtius KZ IV 215.

VI ALIA PRAETER L ET K ELEMENTA CVM ALIIS CONPONVNTVR

a *Graecolatina* exempla desunt.

Digitized by Google

b *Graeca.*

Iam ex eis suffixis linguae Graecae conpositis quae adhuc usque enumerauimus facile intellegi potest particulam terminationum conpositarum posteriorem paucissimis exceptis semper suffixo *ιο–ν* nr. 28 effici. quae res magis etiam eis confirmata suffixis quae iam secuntur cum studio sermonis Graeci deminutiua motione per genera extincta neutro genere formandi haud scio an cohaereat. cf. supra p. 54.

1 *ἴδ–ιο–ν* neutrius generis ex *ιδ* nr. 29 et *ιο* nr. 28 ortum satis frequenter adhibetur. exempla, quae adferenda sunt, pro stirpium primitiuarum ratione et habitu diuerso inter se separanda duximus. declinantur igitur deminutiua in *ιδιον* a) a stirpibus in A uel E desinentibus, *ἡμερίδιον* (*ἡμέρα*) *θυρίδιον* (*θύρα*) *ἑταιρίδιον* (*ἑταίρα*) *στοΐδιον στωΐδιον* (*στόα*) : *ἀξινίδιον* (*ἀξίνη*) *ἀρχίδιον* (*ἀρχή*) *κορίδιον* (*κόρη*) *κεφαλίδιον* (*κεφάλη*) *κρηνίδιον* (*κρήνη*) *πηγίδιον* (*πηγή*) *Σκυθίδιον* (*Σκύθης*), quibus exemplis adparet ante primam suffixi eici uocalem stirpis extremam : cui quotiens altera uocalis praecedit, ea cum suffixi uocali initiali in unum sonum longum coalescit, *ἀφύδιον* (*ἀφύη*) *σμινύθιον* (*σμινύη*) *γωνίδιον* (*γωνία*) *καλίδιον* (*καλία*) *θυείδιον* (*θυεία*) *ῥοίδιον* (*ῥοία*) : *ῥοΐδιον διαιροῦντες λέγουσιν οἱ ἀμαθεῖς· ἡμεῖς δὲ ῥοίδιον* Phryn. 86. — *η* seruatum uidemus in uoce *γήδιον*, quod si *γίδιον* factum esset, non nisi difficillime potuisset cognosci unde oreretur. cf. Apollon. Adu. 586 *τὸ γήδιον ὑποκοριζόμενον ἐφύλαξε τὸ η̄ τοῦ τέλους τῶν τοιούτων γενικῶν εἰς τὸ ιδιον μεταλαμβανομένου.* rectius scribendum *γῄδιον*, cf. Lob. PE I 463. praeterea *η* seruatur sed aliam ob caussam in uoc. *Ἑρμήδιον* deminutiuo nominis *Ἑρμῆς* ex *Ἑρμέας* contracti. recte enim LDindorfius in Thes. HSteph. III 2043 formam *Ἑρμήδιον* et Luciano contempl. 1 et Aristophani Pac. 382. 924 restituit pro uulg. *Ἑρμίδιον*, quod analogiae repugnat. accuratior scriptura, qua Graeci supersedebant, uocis *Ἑρμήδιον* esset *Ἑρμῄδιον*. — b) a stirpibus in O desinentibus, *ἀγρίδιον* (*ἀγρός*) *ἀδελφίδιον* (*ἀδελφός*) *ἀνεμίδιον* (*ἄνεμος*) *ἀργυρίδιον*

Digitized by Google

(ἄργυρος) ἀρθρίδιον (ἄρθρον) ἀρτίδιον (ἄρτος) δημίδιον θεατρίδιον θυμίδιον ἱππίδιον καπρίδιον ναΐδιον (ναός) νοΐδιον (νόος) = νοίδιον, contra ω Attica grauior fuit quam ut ante ι suffixi eiceretur, λαγώδιον (a λαγώ-ς), καλώδιον (a καλώ-ς). quae accuratius λαγῴδιον et καλῴδιον possunt scribi. coalescunt uocales stirpis et suffixi in his uocabulis, βιβλίδιον (βιβλίον) κρῑδιον (κριός) δικαστηρίδιον (δικαστήριον) δεσμῑδιον (δέσμιον) κορασῑδιον (κοράσιον) ζῴδιον ζωΐδιον (ζῷον ζώιον) ἱματῑδιον γυμνασίδιον ὀψαρίδιον βιβλαρῑδιον ὀσταρῑδιον κωβῑδιον Βοιωτῑδιον γραμματῑδιον (γραμμάτιον *epistula*) sed γραμματείδιον (γραμματεῖον *pugillares*) de quorum discrimine Etymol. M 241, 3: εἰ μὲν ἀπὸ τοῦ γραμμάτιον τοῦ σημαίνοντος τὸ μικρὸν γράμμα, διὰ τοῦ ι γράφεται· εἰ δὲ ἀπὸ τοῦ γραμματεῖον γέγονε τοῦ σημαίνοντος τὴν μικρὰν δέλτον, διὰ τῆς ει διφθόγγου, praeterea σπηλᾴδιον (σπήλαιον) προσκεφαλᾴδιον (προσκεφάλαιον) ἐλᾴδιον (ἔλαιον) u. Lobeckii PE I 280, δικτῡδιον (δίκτυον) δακρῡδιον (δακρύον) καρύδιον (κάρυον), contra πτυΐδιον (πτύον) et ὑΐδιον, de quibus idem ualet quod modo de γῄδιον dixi: quamquam optimi codices Venet. et Rau. ap. Arist. Vesp. 1256 υἱίδιον legunt, quod cum Bergkio et aliis praeferendum uidetur. denique ἀγγείδιον (ἀγγεῖον) γραφείδιον (γραφεῖον) σκαφείδιον (σκαφεῖον) et γραμματείδιον, quarum formarum diphthongus uocalem I suffixi quasi deuorauit: his adde μνούδιον ex contracto μνόος μνοῦς, cuius loco μνοΐδιον expectamus, sicuti pro ῥούδιον a ῥοία ῥοίδιον magis legitimum est, et νανούδιον a νᾶνος, cuius diphthongus ratione plane uidetur carere. de similibus Lobeck. ad Phryn. 87. — c) a stirpibus in consonantes desinentibus λαρνακίδιον (λάρνακ-ς) μειρακίδιον (μεῖρακ-ς) παλλακίδιον (πάλλακ-ς) πινακίδιον (πίνακ-ς) Φοινικίδιον (Φοίνικ-ς) αἰγίδιον (αἴγ-ς) συριγγίδιον (σῦριγγ-ς): κλημασ-ίδιον, χρωτ-ίδιον ἱμαντ-ίδιον (ἱμά(ντ)-ς) κυν-ίδιον: γαστρίδιον (γαστερ) θυγατρίδιον (θυγατερ) κλυστηρ-ίδιον κλιντηρ-ίδιον κρατηρ-ίδιον λουτηρ-ίδιον ξυστηρ-ίδιον ποτηρ-ίδιον χειρ-ίδιον ψυκτηρ-ίδιον. his subiungamus exempla pauca in quibus aliqua stirpis littera consona elisa est, Σωκρατίδιον a stirpe Σωκρατες

τειχίδιον a *τειχες* *ξιφίδιον* a *ξιφες* *στηθίδιον* a *στηθες*, quorum deminutiuorum loco facile a *Σωκρατε(σ)-ίδιον* *Σωκρατείδιον* expectare possis et *τειχείδιον* alia, quae non reperiuntur. praeterea huc spectant *κρεάδιον* et *κώδιον* quae non a suis stirpibus primitiuis *κρεατ* et *κωατ* ueniunt, sed a decurtatis *κρεα* et *κωα*, quorum illud uocalem extremam tenuit, hoc, ut *Σωκρατίδιον* *ξιφίδιον*, amisit. — d) a stirpibus in uocales I et Y seu in diphthongos desinentibus. stirpes in I duplicem rationem secuntur, aut enim ab uocali stirpis integra I originem ducunt aut ab uocali E, quae illam in plurimis casibus expulit : cuius rei aliquid Etymol. magn. 347, 54 sensit, *ἑξείδιον σημαίνει τὴν ἕξιν· καὶ εἰ μὲν ἀπὸ τῆς ἕξεως γενικῆς ἐστι γράφεται δίφθογγον· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἕξιος ἑξίδιον διὰ τοῦ ι.* et 560, 12 *λεξείδιον, εἰ μὲν ἀπὸ τῆς λέξις λέξεως διὰ τῆς ει διφθόγγου· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς λέξιος Ἰωνικῶς διὰ τοῦ ι· ὡς καὶ ἀπὸ τῆς ῥήσεως ῥησείδιον· ἀπὸ δὲ τῆς ῥήσιος γενικῆς Ἰωνικῶς ῥησίδιον.* reperiuntur igitur saepe formae duplices deminutiuae ab stirpe eadem factae *ἐχίδιον* et *ἐχείδιον* *ὀφίδιον* et *ὀφείδιον* *κτησίδιον* et *κτησείδιον*. quae in Y uocalem exeunt I opprimunt suffixi, *βοτρύδιον* (*βότρυ-ς*) *ἰχθύδιον* (*ἰχθύ-ς*) *πελεκύδιον* (*πέλεκυ-ς*) *πιτύδιον* (*πίτυ-ς*) *ὀφρύδιον* (*ὀφρύς*). quin *μυΐδιον* (*μῦ-ς*) in *μύδιον* contractum reperitur, *μυΐδιον καὶ ἐν συγκοπῇ τοῦ ῑ μύδιον* Theogn. 121, 24 nec mirarer, si pro *συΐδιον* *σύδιον* et pro *ὑΐδιον* (*ὗς*) *ὕδιον* adnotata reperirem. diphthongis *ιδιο* in his exemplis adnectitur, *βασιλείδιον* (*βασιλευ* *βασιλε[F]*) *ἀμφορείδιον* (*ἀμφορευ* *ἀμφορε[F]*) *γράδιον* accuratius *γρᾴδιον* (*γραυ* *γρα[F]*) *βοίδιον*, *βοΐδιον* (ex *βου* *βο[F]*) et stirpe integra seruata *βούδιον* ex *βου[ι]διον*, *χοίδιον* *χοΐδιον* non a stirpe plena *χοευ* *χοε[F]*, unde debebat *χοείδιον* oriri, sed a mutilata *χο* in multis casibus obuia.

2 *ἄδ-ιον*. haec forma, quam plerumque stirpibus in A et E terminatis sermo Graecus in senium uergens adfixit, ex [49]
αδ nr. 29 suffixo dubio oritur, quod ne hoc conposito *αδ-ιο* quidem magis confirmatur. exempla sint *πηγάδιον* *ὀσφράδιον* (*ὄσφρα*) *τυχάδιον* *σκηνάδιον* (praeter *σκηνίδιον*) *ὑφάδιον* (*ὑφή*)

Digitized by Google

σειράδιον (*σειρά*) *κοράδιον* (*κόρη*), praeterea *γαμμάδιον ἀλφάδιον* ab indeclinabilibus *ἄλφα γάμμα* deriuata et *σημάδιον συρμάδιον*, quae formae a stirpibus *σηματ συρματ* per errorem pro *σημάτιον συρμάτιον* declinatae sunt, u. Lob. PP. 253.

[50a] 3 *ἄφ-ιον υφ-ιον* suffixa ex *αφο* nr. 31 *υφο* nr. 33 et *ιο* nr. 28 conposita, de quibus Theognost. 126 *ἐὰν ἔχῃ τὸ πρωτότυπον τὸ ῡ τὸ οὐδέτερον διὰ τὸ αφιον γίνεται, χρυσάφιον ἀργυράφιον, ὁμοίως κἂν ἀπὸ τῶν εἰς α μοιράφιον* (? *μυράφιον* Lobeck. PP. 293, 4) *εἰ δὲ μή, διὰ τοῦ υ δενδρύφιον ὀρνύφιον ὠύφιον.* quae regula ita rectius dari poterit ut dicamus *αφιον* et *υφιον* in uniuersum sine delectu ac permixte adhiberi, sin autem stirps quaedam V uocalem contineat, *αφιον* constanter usurpari ne sonus auribus ingratus Y uocali geminata fiat. praeter exempla a grammatico adlata haec reperiuntur : *θηράφιον* (*θήρ*) *θειάφιον* (*θεῖον*) Hes. *ξηράφιον* (*ξηρόν ξήριον*) *ξυράφιον* (*ξυρόν*) *υἱάφιον* (*υἱός*) *χωράφιον* (*χώρα*) *ξυλάφιον* (*ξύλον*) *κερδύφιον κωλύφιον* (*κῶλον* cf. Lobeck. ad Phryn. 77) *ξυλύφιον*? *σκευύφιον* (*σκεῦος*) *τεχνίφιον.* de *ξυλήφιον* u. Lobeck. PP. 299.

[50b] 4 *υδρ-ιον* neutrius generis. particula posterior huius terminationis in plano est, obscurissima contra origo prioris, neque hae tenebrae Budenzii de suff. *κός* p. 74 explicatione expelluntur. fortasse *υδριον* tripliciter conposita terminatio est, quae ex *υδ* maxime cognata suffixo *ιδ* nr. 29 ex *αρ* nr. 51 et ex *ιον* nr. 28 orta est. sine suffixo *αρ*, ut sit terminatio *υδ-ιον*, re uera *βαρύδιον* (*βάρος*) *ἑλκύδιον* (*ἕλκος*) *δενδρύδιον τοκαρύδιον* inueniuntur : Lobeck. PP. 401, sed uereor ut haec exempla ad terminationem *υδιο* probandam satis apta sint, cum in stirpibus nominum illorum praeter *ἑλκύδιον* Plut. Quaest. gr. XVIII 398 quod propter *ἑλκύδριον* maxime dubium fit, rho inueniatur, quod probabiliter rhotacismi uitandi caussa ut *ρ* suffixi *υδριο* eiceretur effecit : inde illae formae ex *βαρύδριον δενδρύδριον τοκαρύδριον* ortae sunt. cf. Lusitanorum *padrasto madrasto* pro *padrastro madrastro.* exempla haec suffixi *υδριο* repperi : *ἑλκύδριον κομύδριον λεξύδριον, λογύδριον μελύδριον ξενύδριον ξιφύδριον νησύδριον σκελύδριον*

Digitized by Google

σκηνύδριον σκιφύδριον σχολύδριον τεχνύδριον τρωγλύδριον χερύδριον τειχύδριον, denique hoc suffixo uox *θηλυδρίας* (*θηλυδριώδης θηλυδριωδῶς*) *molliculus homunculus*, cuius deminutio contemptum exprimit, utitur. cf. Pott. EF II 500 Lob. PP. 492.

5 *ἄρ-ιο-ν* neutrius generis. syllaba antepaenultima corripitur, Herod. de dichron. 291 *τὰ εἰς αριον ὑποκοριστικὰ συστέλλει τὸ α 'ἱππάριον' 'φυτάριον'*. suffixum satis frequens: reperiuntur enim fere centum octoginta exempla nominum eo deminutorum, e quibus non nulla lubet adferre, *ἀνδράριον ἀνθρωπάριον ἀπφάριον βιβλάριον γλωσσάριον γυναικάριον δειπνάριον δοξάριον δουλάριον δρυάριον Ἑρμάριον ζευγάριον ζῳάριον ζωνάριον θηκάριον ἱστάριον καλαμάριον καρυάριον κερδάριον κηπάριον κογχάριον κυνάριον Λεοντάριον μητράριον οἰνάριον ὀνάριον πι-τ-άριον* (cf. *ῥω-τ-ακισμός*) *πλοιάριον ποδάριον ῥινάριον ῥοδάριον Χρυσάριον ψυχάριον*. suffixum deminutiuum *ηριον* non extat, cf. Lobeck. ad Phryn. 78. at unde suffixum *αριον* originem ducit? hoc nemo dum explicauit. num in *αριον* reconditum est Indoeuropaeum RA, quod supra p. 32 coniecimus formam magis primitiuam suffixi LO fuisse? an *αρ* ex *αδ* ortum est et cum forma *ιδ* nr. 29 coniungendum? mutatio elementorum D et R non uereor ne quemquam offendat, postquam Kuhnius Z I 373 II 143 III 69 IV 43 LMeyer KZ V 162 Ebel. VII 271 satis superque antistoechiam illam conprobarunt. nihilo minus tamen quidquam certi adfirmare non ausim. [51]

Suffixo *άριον* formatum esse uocabulum *κοράσιον* Buttmannus in gramm. ampl. II 442 statuit: pro *κοράριον* enim positum esse littera R rhotacismi causa in S mutata. at haud pauca huic sententiae obstant. primum ueri simile non est Graecos, qui *μητράριον ἀνδράριον* (*Ἑρμάριον δρυάριον καρυάριον*) inmutata reliquerunt, in *κοράριον* rhotacismo offensos esse, deinde sententiae Buttmanni *α* uocalis producta repugnat, cum *αριον*, ut iam diximus, semper uocalem antepaenultimam corripiat. cf. Plat. epigr. 29 p. 496 Bgk. *'Α Κύπρις Μούσαισι. κοράσια τὰν Ἀφροδίταν τιμᾶτ' ἢ τὸν Ἔρωτ'* [52]

Digitized by Google

ὕμμιν ἐφοπλίσομαι. denique, id quod grauissimum, mutatio R litterae in S in sermone Graeco inaudita res est: cf. Pott. EF I 131. uox *κοράσιον* uocabulis deriuatis *κορασίδιον* et *κορασιώδης* confirmatur. praeter *κοράσιον* duo solum exempla huius suffixi repperi, *Ἀδελφάσιον* et *Φιλοκωμάσιον*, quibus nominibus meretrices in Poenulo et Milite glorioso Plautinis (Lobeck. PP. 435) nominantur: nec aliter explicauerim nomina duo promontoriorum *Πρυμνάσιον* et *Κορυφάσιον* a scholiasta Veneto ad Il. Y 404 cum *Κοράσιον* conparata, quamquam Lobeckius ad Phryn. 75 dissidet. nomina illa a *πρύμνα* et *κορυφή* deminuuntur ut promontoriorum cacumina adcuratius designentur, quo de deminutionis usu Grimmius in thes. L. G. II 616 *das pünctchen* inquit *trift genauer als punct, und fleckchen kleckschen genauer als flecke klecks, es fehlt nicht ein körnchen ist bezeichnender als korn*'. — unde haec terminatio *ασιον* descendat Lobeckius ad Buttmanni gramm. II 442 recte intellexit conponens eam cum adiectiuis *Φυλάσιος Ἀναγυράσιος Θηράσιος* aliis in *άσιον ήσιον*, quae saepe originem rei seu personae indicant. cf. etiam Lob. PP. 427 sqq.

[53] 6 *υρ-ιον*, etiam simpliciter *υρο-ν υρο-ς*, terminationes rarissimae, quae formae *αρ* cognatae sunt: *ἄστυρον* (*ἄστυ*): *ἄστυρον παρὰ τὸ ἄστυ ὑποκοριστικῶς* Theo in EM. 160, 30, *νάκυρον νακύριον* deminutiuum uerbi *νάκος*, *καλύριον· ξυλήφιον* a *κᾶλον* deriuatum, *κίλλυρος· σεισοπυγίς* Hes. cf. nr. 31.

[54] 7 *ιδ-ευς*. terminatio haec proprie deminuentibus attribui non potest. fere semper enim ad animalium, quae uox primitiua indicat, pullos significandos adhibetur. cum uero pullus recens natus, si parentes respicis, sit paruus, non est quod miremur usum huius terminationis paene deminutiuum. haec nomina cum uocabulis adfinitatis in *ιδεος* = *ιδευς* (*ἀδελφιδοῦς ἀνεψιαδοῦς*) et patronymicis in *ίδης* artissime, si cum formam tum sensum spectas, cohaerent ac congruunt. cf. Buttmannus in gramm. ampl. II 443 Lobeck. ad Aiac. 880. exempla sunt *ἀηδονιδεύς ἀλωπεκιδεύς γαλιδεύς ἐρωτίδευς ἱερακιδεύς Κνοιθιδεύς* (? a *Κνοῖθος*) nomen fabulae Antipha-

Digitized by Google

nis, *κορωνιδεύς λαγιδεύς λεοντιδεύς λυκιδεύς παρδαλιδεύς πελαργιδεύς περδικιδεύς ὑϊδεύς υἱδεύς υἱϊδεύς χελιδονιδεύς χηνιδεύς*.

8 *ῡν-ιον* suffixum rarissimum cohaerens cum *ῑν* nr. 34 et *ιον* nr. 28, quod integrum in uno nomine *στηθύνιον* a *στῆθος* inuenitur, praeterea autem in uoce *τηθυνάκιον* a *τῆθος* continetur. [55]

c *Latina.*

1 *aster.* uocabula quae in hanc terminationem exeunt, proprie non deminutiua sunt, sed similitudinem quandam atque imitationem nominis primitiui significant. exempla haec repperi. *Antoniaster* i. e. Antonii imitator, quod in malam partem (*καταφρονητικῶς*) dicitur, cf. Cicero ap. Prisc. 617 : *Fuluiniaster* = Fuluinii imitator. num uocabula *Antoniaster* et *Catulaster* a *Catulo* deriuatum Priscianus 610 recte adulationis causa dicat usurpata esse cum Vossio Arist. I 818 (698 Eckst.) optimo iure dubitare licet. — praeterea notabilia sunt propter significatum *pueraster ἀντίπαις* gloss. Labb. 150 et *catlaster catulaster βούπαις catulester πάλλαξ* 27. quibuscum coniungimus uocabulum *pullastra* = gallina adolescens, cf. *pullaster πῶλος* gloss. Labb. 151. 164 Ital. *pollastro* a *pollo* ut *porcastro* a *porco.* similitudinis causa etiam plantae aliquot, ut pote quae aliis fortasse magis notis et frequentius inuentis similes haberentur, in *aster* nomina acceperunt, *alicastrum* genus frumenti *alicae* similis, *apiastrum* genus *apii,* frequentius *apiastellum* = *apiasterulum*, *lotaster* lotus siluestris *oleaster ἀγριελαία mentastrum* menta siluestris *piceaster pinaster* : Plin. XVI 10, 16 *pinaster nihil aliud est quam pinus siluestris, porcastrum salicastrum*, quod non, ut expectandum, genus salicis sed uitis in salictis crescens designat, *siliquastrum,* quibus adiungimus *rapistrum* = rapum siluestre Colum. IX 4 med. — in LDiefenbachii glossario med. Lat. 392 *ocimastrum* reperimus, quod a Graeco *ὤκιμον* descendit, cf. gloss. Labb. 125 *ocimum ὤκιμον, τὸ λάχανον, nigellastrum* = *nigella,* Dief. 380, ib. 426 *petalaster (furfures) klie*, quod ex Graeco [56]

Digitized by Google

πιτυρον corruptum est. praeterea conferatur *falcastrum* (Ital. *falcastro*) de quo Isidorus Origg. XX 14 *falcastrum a similitudine falcis uocatum*. *seliquastrum* apud Festum p. 340 M et *serperastrum* sunt obscura. eadem notio similitudinis, quae huic suffixo inest, praeclare et significanter elucet in nominibus *patraster* = uitricus, qui patri similis quidem nec tamen pater naturalis est, *filiaster filiastra* = priuignus priuigna. eandem uim habent Hispanorum *padrastro hijastro madrastra hermanastro* Prouincialium *sourastro* soror germana stiefschwester *mairastro* Francogallorum *parâtre marâtre* Ital. *figliastro figliastra*. contra ex adiectiuis originem ducunt quae notionem deminutiuam continent *caluaster*, qui non '*caluus*' quidem est, sed tamen 'calui similis' est, *recaluaster claudaster fuluaster grauaster*, quod in *grauastellus* continetur, *nouellaster surdaster canaster* *μιξοπόλιος* Labb. gloss. uet. 25. 124, *laetaster* et *formaster* Titin. ap. Fest. s. u. obstrudant : *hic laetaster aut formaster*, deriuatum, ut *laetaster* a *laetus*, ab adiectiuo quodam **formus*, quod numquam extitit. — Romanae linguae hanc etiam formam fideliter seruarunt, cf. Ital. *biancastro (bianco) weiszlicht albi similis*, *nouastro rossastro sordastro* Francogall. *bellâtre (beau) blanchâtre brunâtre*. denique contemptim usurpantur *palliastrum* h. e. pallium uile, quod proprie pallium nequit adpellari, sed pallio simile est, *philosophaster* = miser philosophus, *parasitaster* : Terent. Ad. V 2, 4 *parasitaster paruolus*. — cf. Ital. *medicastro (quacksalber) poetastro (: poeta = dichterling : dichter)* Francogall. *écolâtre. gentillâtre*. de Romanis formis uide FDiezium in gr. Rom. II 318. — origo suffixi *aster* est obscura : equidem haud scio an ex *ât* suffixo, quod originem et cognationem indicat, cf. *cuias Interamnas* Pott. EF II 559. 560, et ex *ter* suffixo conparatiuo sit conpositum. conparatiuum enim suffixum aptum esse ad deminutiua formanda cum ex eis facile concludas quae Corssenius KZ III 241 ss. exposuit, tum inde quod in lingua Sanscrita suffixum conparatiuum तर् *tara* re uera deminutiua format, कासूतरी kâsûtarî *hastula* a

Digitized by Google

कासू kâsû *hasta* Pan. V 3, 90 Böthl.-R II 278 गोणीतरी gôṇîtarî *sacculus* a गोणी gôṇî *saccus.*

2 *aceus.* Priscianus 618 et Charisius 24. 128 inter demi- [57]
nutiua enumerant *betaceus* et *maluaceus* a *beta* et *malua.* nec
tamen terminatio nec sensus, quantum nos quidem iudicare
possimus, hanc sententiam probat. cf. Aufrecht. KZ II 210.

C SVFFIXA DVPLICITER CONPOSITA

Suffixa quae simpliciter conposita nominauimus ex duobus simplicibus suffixis fiunt, contra suffixa dupliciter conposita, quae iam enumeraturi sumus, ex duobus suffixis conponuntur, quorum prius monosyllabum simplex, posterius disyllabum e numero simpliciter conpositorum est. notandum est Graeco sermoni suffixa dupliciter conposita satis familiaria esse, Latinum uero fere plane ea recusasse. huc enim solum aliquot uocabula in *ellulo* et *illulo*, ut *arcellula cistellula unguellula ocellulus*, *pusillulus pauxillulus*, de quibus supra nr. 36 disserui, referri possunt. at ne Graecam quidem linguam conparare licet linguis Romanis et Slouanicis, quippe quae maxime deminutiuis suffixis inter se coniungendis et adcumulandis indulgeant. formae Graecae sunt hae.

1 *υλλίδιον* ex nr. 3 et nr. 48 conpositum : *μειρακυλλί-* [58]
διον. 2 *υλλύδριον* uel ob epalleliam *ιλλύδριον* ex nr. 3 et
nr. 50[b] : *Πριαμιλλύδριον* Lobeck. PP 299. 401. 3 *ακίδιον*
ex nr. 19 et nr. 48 : *δημακίδιον* Arist. Eq. 823. 4 *ακίνης*
ex nr. 19 et *ινης* nr. 34 : *ὀρφακίνης.* 5 *υνάκιον* ex *υν* cf.
nr. 55. 34 et ex *άκιον* nr. 45 : *τηθυνάκιον* (*τῆθος*). 6 *ισκά-*
ριον ex nr. 22 et nr. 51 : *ναϊσκάριων νεανισκάριον παιδισκά-*
ριον παρθενισκάριον πυργισκάριον χιτωνισκάριον. 7 *ισκίδιον*
ex nr. 22 et nr. 48 : *χλανισκίδιον* : Arist. Pac. 1002 *χλανι-*
σκιδίων μικρῶν. 8 *ισκύδριον* ex nr. 22 et nr. 50[h] : *νεα-*
νισκύδριον. 9 *ιχνιον* ex *ιχνο* nr. 46 et *ιο-ν* nr. 28 : *πολί-*
χνιον oppidulum κυλίχνιον pocillum. 10 *υχνιον* ex *υχνο* et
ιο-ν nr. 28 : *σπυρύχνιον* (*σπυρίς*) *corbicula.* recte Lobeckius

Digitized by Google

PP. 344 huc *κολλύχνιον καρύου λέπισμα* Hes. refert, quod cum *κολεός culiolum culeus* conecti iubet. cf. Doederlinius de synon. VI 89. 11 *ιχευς* ex *ιχ* 21 et *ευ-ς* : *ὀρταλιχεύς*. 12 *ιδάριον* ex *ιδ* nr. 29 et *άριον* nr. 51 : *βιβλιδάριον ζῳδάριον ἱματιδάριον μυρδάριον σηπιδάριον χρυσιδάριον*. 13 *αρίδιον* ex eisdem elementis ordine inuerso positis : *βιβλαρίδιον λιθαρίδιον πολταρίδιον*. 14 *ιάριον* ex *ιο* nr. 28 et *άριον* nr. 51 : *βιβλιάριον*. 15 *αρύδιον* ex *αρ* et *υδιον* = *υδριον* cf. nr. 50[b] : *τοκαρύδιον*. 16 *ασίδιον* ex *ας* nr. 52 et *ίδιον* nr. 48 : *κορασίδιον*. 17 *ινίδιον* ex *ινο* nr. 34 et *ίδιον* nr. 48 : *γλαυκινίδιον*.

II DEMINVTIVA ADFECTV VOCABVLI INTESTINO FORMATA

[59] In eis quae praecesserunt talia deminutiua sola enumerauimus quae terminatione aliqua in nouissima uocabuli parte adiecta formata sunt. iam restat ut quam breuissime, cum praesertim iam supra p. 10 et 31 non nulla quae huc spectant scripserimus, de genere deminutionis disputemus quod adfectu intestino uocis fit. haud pauca enim nomina conposita propria contrahuntur seu decurtantur nt sensum deminutiuum accipiant. Herodianus EM 142, 56 *Ἀρίστυλλος ὄνομα παρὰ Ἀριστοφάνει· εἴρηται δὲ ὑποκοριστικῶς ὁ Ἀριστοκλῆς· ὡς γὰρ παρὰ τὸ Ἡρακλῆς Ἥρυλλος· καὶ παρὰ τὸ Θρασυκλῆς Θράσυλλος· καὶ παρὰ τὸ Βαθυκλῆς Βάθυλλος· οὕτω καὶ παρὰ τὸ Ἀριστοκλῆς Ἀρίστυλλος*. de ratione huius formationis certissimum uidetur, non tam adsimilatione ex *Ἀρίστοκ-λος Ἀρίστολλος Ἀρίστυλλος* factum, sed membro altero conpositionis resecto alteri suffixum deminutiuum *υλλο* adiunctum esse. eodem modo cum nomina in *ᾶς* ut *Μητρᾶς Μηνᾶς* ex *Μητρόδωρος Μηνόδωρος*, tum in *ώ* uelut *Ὑψώ* pro *Ὑψιπύλη Εἰδώ* pro *Εἰδόθεα* explicanda sunt : quae utraque terminatio uinculo quodam artiore inter se coniuncta est, cf. *Ἀρτεμώ* = *Ἀρτεμιδώρα* et *Ἀρτεμᾶς* = *Ἀρτεμιδῶρος*, *Ἐπαφρώ* =

Digitized by Google

Ἐπαφροδίτη et Ἐπαφρᾶς = Ἐπαφρόδιτος, Ἀλεξώ = Ἀλεξάνδρα et Ἀλεξᾶς = Ἀλέξανδρος cf. Ahrens. KZ III 91. — Difficillimum est rationem formationis huius, in primis terminationum ᾶς et ώ dispicere. ut mihi uidetur, utraque terminatio, cui cum deminutione nihil est rei, nihil nisi quasi testis et custos generis grammatici est, ut ᾶς masculina ώ feminina designet. illis multo obscuriora sunt nomina decurtata in ις de quibus grammatici ueteres non nulla disputant. Herod. in Etym. M. 93, 50 Ἄμφις· τοῦτο οὐ συγκοπὴ ἀλλὰ μετασχηματισμός. ἀπὸ γὰρ τοῦ Ἀμφιάραος Ἄμφις, ὡς παρὰ Αἰσχύλῳ· ὥςπερ ἀστράγαλος ἄστρις· καὶ Ἰφιάνασσα Ἶφις· καὶ Θρασυκλῆς Θράσυλλος καὶ Βαθυκλῆς Βάθυλλος ὑποκοριστικά· ταῦτα γὰρ μετασχηματισμοὶ καλοῦνται.´ ibid. 159, 26 ἄστριας : εἴρηται ὑποκοριστικῶς, ὡς γὰρ ὁ παρθένιος πάρθις καὶ ὁ Χαλδαῖος Χάλδις, οὕτω καὶ ἀστράγαλος ἄστρις. cf. Lobeckii PP. 507. neque magis liquet de ratione deminutiuorum in ῦς, de quibus schol. Dion. Thrac. 857 disputat, ὁ δὲ Ὦρός φησιν ὅτι καὶ ὁ εἰς ῡ καὶ ὁ εἰς ῡς καὶ ὁ εἰς ῑς ὑποκοριστικά, . . . εἰς ῡς Καμμῦς Κλαυσῦς Λαρδῦς ἀπφῦς Διονῦς. u. Goettl. de accent. 259. quorum exemplorum ultimum Διονῦς quamquam ex Διονύσος possit decurtatum putari, tamen cetera hanc interpretationem recusant. de significatione uoc. Διονῦς u. Hes. glossam Διονῦς· ὁ γυναικίας καὶ παράθηλυς et Etym. Magn. 277, 3. κλαυσῦς is καταφρονητικῶς dicitur 'qui semper flere solet', καμμῦς Dindorfio iudice ad HSteph. Thes. IV 922 a καμμύειν deriuandum, Λαρδῦς unde ueniat obscurum, ἀπφῦς liberorum blanda adpellatio *patris* est.

III DEMINVTIVA CONPOSITIONE FACTA

Extant in non nullis linguis Indoeuropaeis uocabula [60] conposita, quorum particula altera alteram deminutione quadam adficit. de his semideminutiuis seu pseudohypocorismis pauca addere lubet, potius nequid deesse uideatur quam ob rei ipsius grauitatem. lingua Sanscrita aduerbiis

Digitized by Google

आ â et ईषत् îshat et nominibus लव lava, कल्प kalpa B-R II 174 देश्य dêçja पाश pâça (Pott. EF I 168) hoc sensu paene deminutiuo utitur, आपक्व â-pakva *semi-maturus* आरक्त â-rakta *rufulus* a रक्त racta *rufus*; eiusdem significationis आपिञ्जर â-pin'g'ara a पिञ्जर pin'g'ara *rufus* आपीत â-pîta *helueolus*, ईषदुष्ण ishad-ushna *parum calidus* = *tepidus*. कविकल्प kavi-kalpa कविदेश्य kavi-dêçja *poetaster* a कवि kavi *poeta* पटुकल्प patu-kalpa पटुदेश्य patu-dêçja *loquaculus* a पटु patu *loquax*. मृतकल्प mrtakalpa *mortuo similis, paene mortuus;* आमिषलव âmishalava *caruncula* अपराधलव aparâdhalava *offensiuncula*, वैयाकरणपाश vaijâkaranapâça *grammaticaster* a वैयाकरण vaijâkarana. cf. Benfei gramm. §. 656 II, 3 et quae supra p. 46 de sanscr. का ka किम् kim कद् kad disputaui. Graecolatinus sermo aduerbio *ὑπό-sub* subdeminutiue utitur in primis de coloribus, *ὑπόλευκος subalbus subalbidus subalbicans subcandidus ὑπόμελας subniger ὑπέρυθρος subruber subrufus subrutilus ὑπομήλινος ὑποχλώρος ὑπόχλοος subuiridis subpallidus ὑπόκιῤῥος ὑπόξανθος ὑποκυάνεος subcaeruleus, ὑπόγλαυκος subflauus ὑπόφαιος ὑποφακώδης, subaquilus subfusculus, subluteus, subliuidus.* praeterea *ὑπάμουσος subrusticus ὑπόγλισχρος, ὕποξυς ὑπόπικρος subacidus subamarus ὑπόμαργος ὑπόμωρος, ὑπόμαυρος ὑποσκότεινος subluculus* Gloss. uet. Labb. 159, *ὑπόγλυκυς subdulcis ὑπόβραχυς subbreuis ὑπότραχυς subasper*, deinde *subargutulus subcrassulus subpaetulus subturpiculus*, quae dupliciter deminuta sunt et deriuatione et conpositione. ex uerbis hoc modo adfectis excribantur *ὑποβρέχω ὑποβρυχάομαι ὑποκρίζω ὑπομειδιάω ὑποσκάζω ὑπολύζειν ὑπολωφᾶν ὑποπίνω subbibo subnego subblandior suppudet subrideo subtimeo.* Romanae linguae deminutionem in *sub* adiectiuorum quidem amiserunt, uerborum tamen seruarunt, Ital. *socchiamare sottoccare* Hisp. *sonrisar soterrar*, Diezii RGr. II 354. praeter *ὑπό* in Graeca lingua eodem modo aduerbia *ἐν ἐπί παρά* cum adiectiuis conponuntur. exempla in quibus *ἐν* legitur de significatione cum nostro *an* conpa-

Digitized by Google

randum (cf. *ansauer ankalt* Grimm. Thes. I 289) sint *ἐμπευκής ἔμπικρος amarulus ἔγγλαυκος glauculus ἐνέρυθρος rufulus ἔνσιμος simulus ἔγχλωρος ἔγχλοος pallidulus ἔμπυῤῥος rufulus ἐμπίμελος crassulus ἐμπέλιος canulus ἔγγλυκυς dulciculus ἔγγλισχρος lubriculus ἔνωμος crudulus.* aduerbii *in* in Latina lingua similis usus non extat. exempla qualia *incanus infuscus* sunt, quorum alterum Pott. EF I² 186 cum Graecis illis dubitanter conparauit, nihil ad nostram rem facere uidentur.

De aduerbio *ἐπί*, cuius usum deminutiuum Theophrastus maxime amasse uidetur, exempla haec sunt praesto, *ἐπίβαρυς grauiculus ἐπίγλυκυς ἐπίγρυπος ἐπίδασυς ἐπικαμπύλος ἐπίκυρτος ἐπίλευκος ἐπίμακρος ἐπιμέλας ἐπίξανθος ἐπιπόρφυρος ἐπίπερκος ἐπίπικρος ἐπίσαπρος.* denique cum *παρά* haec conponuntur, *πάρωχρος pallidulus πάρυγρος παραστρόγγυλος παράπικρος παράξενος παράλευκος παράλυπρος* (*παραπολύς plusculus* gloss. Labb. 140). uocab. *παράκωφος* quod Pottius l. c. adfert non extat, etsi per se nihil habet quod displiceat. Henrici enim Stephani errore in lexica intrusum est. cf. HSteph. Thes. Paris. VI 307.

Etiam in linguis Slauicis talia conposita deminutiua satis frequentia sunt : praepositiones huic usui aptae sunt *ob po na pri*, cf. Dobrowsky lehrgeb. d. böhm. Spr. §. 123 Institt. p. 420 : Illyr. *nanebbo subcaeruleus, nacarn* et *pocarn nigellus (carn niger) posmih risiculus (smjeh risus) porugavatise subridere (rug inrisio inlusio) posolitti subsalire porezati subsecare ; prigluch subsurdus prigorkuj subamarus.* plene de toto hoc genere deminutionis Pottius EF I² 188 ss. disputauit.

Digitized by Google

II

DE DEMINVTIVIS IN ALO EXEVNTIBVS

(u. pag. 38 nr. 9 et 10.)

20 Suffixum LO deminutiuum in linguis Indoeuropaeis raro stirpibus deminuendis per uocalem A copulatiuam conectitur. haec res ex natura et uocalis A et L consonae explicanda est, de qua bene ADietrichius comment. gramm. p. 29 exposuit, cuius uerba haec adferre lubet: '*ex correptis uocalibus tenuissima et leuissima illa E ut naturae consentaneum est, facillime poterat* (sc. *subsequente L*) *corrumpi, non ita facile A, quae grauitate et constantia quadam illam longe anteiret. deinde uocalis I cum et in uocabulorum stirpibus et in syllabis deriuationi inseruientibus nunc satis raro litterae L antecedens inueniatur, nisi certis quibusdam causis aut ex aliis quibuspiam uocalibus nata aut a consonae adpositae ui defensa sit: ea quidem, si olim frequentior fuit, in multis commutata iudicabitur. denique O et V ipsae per se tam sunt litterae L congruentes, ut uix possint magis congruere. et maxime quidem hoc ita est in V uocali, quae illi literae similior reddi plane non possit. O tamen in obscuriorem sonum V et potuit sane transire et haud raro abiit*'.

Hinc facile conligi potest, id quod iam supra satis cognouimus p. 33 ss., Graecos et Latinos ad LA terminationem radici suffigendam maxime L litterae congruentem V uocalem usurpasse, ceteras non ita amauisse. neque tamen utriusque sermonis Graeci ac Latini eadem ratio ac consuetudo in hac re fuit. facile enim animaduertimus Latinos multo magis constanter usos esse uocali copulatiua V quam Graecos, qui saepiuscule alias quoque uocales copulatiuas admittebant.

Digitized by Google

Haec uocalium diuersitas ad diuersam litterae L apud Graecos et Latinos pronuntiationem redire uidetur: quam ut cognoscamus ueteres grammatices auctores nobis adeundi sunt. Plinius igitur apud Priscianum p. 555 P. haec praecipit: *L triplicem sonum habet: exilem quando geminatur secundo loco posita, ut 'ille Metellus', plenum, quando finit nomina uel syllabas et quando aliquam habet ante se eadem syllaba consonantem, ut 'sol silua flauus clarus', medium in aliis ut 'lectus'.* ceteros de hac re grammaticorum locos u. in Schneideri LGr I 297. quae philologorum si cum physiologorum praeceptis conparantur, haec inde efficiuntur. lambda cui Plinius 'plenum sonum' attribuit eam speciem huius litterae significat, quam sonoram et grauem linguae cacumen ad summum palatum adnixi proferimus *).

Hic est sonus, quo Romani in mediis uocabulis litteram L simplicem pronunciabant, cf. Corssen. LA I 80. 257, itaque etiam in suffixo LA efferendo adhibebant. huic uero sono maxime congruens uocalis V grauis et sonora est, quae similiter ac L obscura illa linguae radice palato quam proxime admota effertur: cf. Ludwig physiol. I 436 Brücke physiol. der sprachl. 18 Bruch z. phys. d. spr. 15. — hinc igitur fit ut V uocalis ante L saepissime apud Romanos usurpetur. Graeca contra consuetudo pronuntiandi L a Latina diuersa fuit. supra p. 35 iam Consentium citauimus recte docentem Graecorum L litterae sonum subtilem fuisse. itaque is sonus Graecis familiaris fuit, quem Plinius 'medium' adpellat, quique est ille communis et uulgaris, quem proferimus linguam non tam ad summum palatum quam ad conuexam partem maxillae superioris, ubi dentes radicantur, adnixi **). hic L litterae sonus si cum A uocali coniungitur, hoc aptissimum quidem non est, nec tamen ualde alienum a natura

---

*) hanc EBrücke phys. d. sprachl. 40 signis λ^2 seu l^2 significat. eadem in dialecto Vedica ळ signo exprimitur Boethlingkio judice.

**) hanc EBrücke notis λ^1 et l^1 significauit.

Digitized by Google

illius liquidae est. cf. Corssen. l. c. I 258. quae cum ita sint, Graecum *αλο* quotiens in linguam Latinum translatum est, in *ulo* mutatur, *πάσσαλος* = *pessulus* *Fίταλος* = *uitulus* *κραιπάλη* = *crapula* *σκυτάλη* = *scutula*. Dietrich. Comm. duae p. 38.

21 Ex eis quae disputata sunt facillime conicimus, si quae deminutiua in ALO extent, ea non tam in Latina quam in Graeca lingua maxime reperiri. neque hac coniectura fallimur. nam in lingua Latina uix unum uocabulum deminutiuum in A-LO desinens reperias. quae huc spectare uidentur terminatione respecta, partim significationis et originis causa deminutiuis nequeunt attribui, partim si uera sunt deminutiua, proprie non A-LO suffixo formata sunt, cuius speciem praebent, sed contractione stirpis et V-LO terminationis orta. '*Caballus*' una cum Graeco ex Latino deriuato *καβάλλης* et Slouanorum *kobyla* = *equa* e Celtica radice deflexum esse uidetur, cf. Britann. *cauall* = *caballus*, *keffyl* = *equus uilis* et nomen urbis *Cabilloni (Chalons sur Saone)* quod cum Graeco *Ἱππώνιον* urbis inferioris Italiae nomine apte licet conparare: Zeuszii GC 788 Diefenb. Celt. I 118 Lottner KZ VII 180. quae Pottius EF I LXXX et Doederlinius Syn. VI 43 de origine *caballi* coniecerunt, inprobanda sunt. similiter res se habet de *Caracalla*, quae est uestis Gallica et Gallica uox: Zeuszii GC 727. — alteri generi, quod supra commemoraui, Latinorum uocabulorum in ALO exeuntium haec attribuenda sunt: *grallae* pro *gradulae* *καλόβαθρα*, cf. GIVossii Etym. Lat. 239, *Messalla* pro *Messanula*, *Hispallus* pro *Hispanulus*, *uallus* ex *uannulus (uannus)*: Cap. 2250 '*uallus hic, quo frumentum excutitur*'. cf. FGOtto ad gramm. incert. de gen. nom. 58. Varro. RR. I 52. 23. '*rallus*' pro '*rarulus*': Plaut. Epid. II 2, 46 *tunicam rallam tunicam spissam*, cf. Lachmannum ad Lucret. 204. *ralla, genus uestis ita dictum a raritate texturae*, Nonius XIV 14. — cum uoc. *ralla* uocabulum '*rallum*' quoque coniungendum est, i. e. ferrum quo uomer a terra adhaerente tergetur a *râdendo*. cf. gloss. uet Labb. 155. 130 *rallum* *ξυστήρ*. praeterea ean-

Digitized by Google

dem stirpem ac *ralla* adiectiuum *rarus* habet. nam a *râdendo rârus* pro *râsus* fit, ut *ara* pro *asa rerum* pro *resum roris* pro *rosis gero* pro *geso*, cf. Corssen. LA I 86. 116. *tunica rara* igitur, quae in Ouidii Amor. I 5, 13 *deripui tunicam nec multum rara nocebat* eodem sensu atque *tunica ralla*, de qua modo diximus, commemoratur, proprie *ἱμάτιον κατατετριμμένον* est, unde potestatem *ἱματίου μανοῦ* accepit. cf. gloss. Labb. 155 *rarus μανός* et Quintil. X 4, 17 *nam neque illud in Lysia dicendi textum tenue atque rasum laetioribus numeris corrumpendum erat*, ubi lectionem uulgatam *rarum* Bonnellius codicem Bambergensem ceterosque optimos secutus in *rasum* commutauit. Vossius Et. Lat. 429 et Doederlin. de Syn. VI 290 de origine uoc. *rarus* incredibilia ariolantur.

Restat ut de *hirquitalli* uocabulo disputemus, quod unicum uere deminutiuum est. *hirquitallus* enim, unde *hirquitallire* ducitur, deminutiuum est a stirpe *hirco* deriuatum, ut Graecorum *τραγίζειν*, quod plane de significatione uerbo Latino respondet, a uoce *τράγου*, cf. gloss. Labb. 85 *hirquitali τραγίζοντες*. praeterea de terminatione deminutiua uerbum *hirquitalliendi* Germanico '*böckeln foetere*, *hircum olere*' (u. Grimmiorum Thes. II 204 et *eierlen oua olere* ibid. III 86) conpensatur. ad formam quod attinet, littera dentalis inter stirpem et suffixum posita difficultates non nullas mouet. quas ut remoueamus aut *hirquitallus* non tam a uoc. *hircus* quam ab adiectiuo inusitato **hirquitus*, quod ut *auîtus patrîtus marîtus* formatum similis esset sensus atque *hirquînus*, ducendum est aut, id quod probabilius est, ad epenthesin litterae T confugiendum. cuius exempla a Ritschelio de fict. litt. Lat. antiq. Bonnae 1853 p. IX conlecta, ut *aeu-it-ernus semp-it-ernus hes-t-ernus* alia, quamquam uereor ut recte explicata sint, tamen certiora non desunt, cf. *rŭ-t-ilus*, Curtius GrE. I 217, *fu-t-ilis* ibid. I 173 *pus-t-ula ὀρ-τ-α-λίς νεκύ–δ–αλλος*. explicationi quam loco secundo proposui fauent quodam modo hae duae glossae ueteres apud CLabbaeum p. 101, *irquis τραγιων* (s. *τραγεων* p. 189) *παις* (s. *ταις* p. 189) *αρχηνηβιοσας*, *irquitalus νηπιώτατος*, quarum sententia, etsi prior graui-

Digitized by Google

ter corrupta est, in aperto est. legendum enim uidetur '*hirquus* *τραγίζων*, *παῖς ἀρχὴν ἥβησας*'. — quae Doederlinius de syn. VI 159 de hac uoce scripsit, hic pono inmutata ne, si sensum solum indicauerim, aut iocari aut calumniari uidear: *hirquitallio von hircus und von dahlen. vgl. τραγίζειν. titulus. μῦθον ἔτελλον* (cf. Doederl. die lat. wortb. 222). alii non sanius conpositum esse *hirquitallire* ex *hircus* et *θάλλω* iudicarunt, u. Forcell. lex. II 415 ed. Germ.

22 Venimus ad exempla Graeca, inter quae primum ponimus id quod a Graecis ipsis hypocoristicum habitum est. *κόκκᾰλος* : *κώνου* (nucis pineae) *καρπός, ὃν καὶ κόκκαλον ὀνομάζουσι καὶ στρόβιλον* Galen. Simpl. Temp. VII 68 p. 55 t. XII, quibus uerbis in exegesi haec adduntur: *κόκκαλον οἱ πλεῖστοι τὸν πυρῆνα* (nucleum) *τοῦ στροβίλου* (nucamenti pinei). *Διοσκορίδης δὲ τὸν κνίδιον κόκκον ὑποκοριστικῶς*, *cuius hypocorismi* inquit Lobeckius in prolegomenis pathologiae 102 *in hoc genere uocabulorum* (disserit Lobeckius de nominibus in $\overline{\alpha\lambda}$ deflexis) *nullum animaduerti uestigium indubitabile.* quod Lobeckianum quamquam cura quadam nos adficit, tamen speramus fore ut disputationibus sequentibus refutemus. — et de *κόκκ–α–λο–ς* quidem non uideo cur non sit uocabuli *κόκκος* deminutiuum, quod Dioscorides adfirmat, praesertim cum rem per se paruam significet, quales, ut ex rei natura sequitur, in primis deminui solent.

Τηθαλλαδοῦς uel *τηθελλαδοῦς* uel *τηθελαδοῦς* uel *τηθαλωδοῦς* uel *τηθαλλαδῦς* uel *τηθελᾶς* significat hominem *μαμμόθρεπτον* h. e. *auiae indulgentia corruptum.* formam uocabuli accuratius examinaturis nobis syllaba *δους* adimenda est, quae ad nomina cognatorum formanda saepius adhibetur, ut *ἀδελφιδοῦς θυγατριδοῦς ἀνεψιαδοῦς υἱδοῦς*, cf. supra nr. 54. syllaba *δους* illa adempta restat **τήθαλλα*, quod nihil aliud quam deminutiuum uocabuli *τήθη* *auia* est, formatum suffixo *α-λο*, pro cuius uocali initiali interdum *ε* : *τηθ–ε–λλαδοῦς τηθ–ε–λα–δοῦς τηθ–ε–λᾶς* legitur, pro cuius liquida littera simplici duplex interdum inuenitur : *τηθ–α–λλα–δοῦς τηθ–ε–λλα–δοῦς τηθ–α–λλα–δῦς.* cf. Curtius GrEt. I 219.

Digitized by Google

deminutio contemptum quendam exprimit, quasi nos dicamus '*groszmütterchens söhnlein*'. — breuior forma *τηθ–ε–λᾶς* conparanda est cum formis *Μηνᾶς Ἀρτεμᾶς*, de quibus uideas supra nr. 59. — Eustathius, qui p. 971, 40 hoc uocabulum ex comici cuiusdam uersu adfert, recte probare studet, *τηθαλλαδοῦς* uocabulum conuitii causa dictum nec pro adfinitatis nomine ducendum esse. inter exempla duo, quibus ad hoc euincendum utitur, '*ἐμπληκταδοῦς*' et '*μωραλλαδοῦς*', posterius ad nostram rem spectat.

Nam *μωρ–α–λλα–δοῦς* referendum est ad *μώραλλος*, quod deminutiuum uocabuli *μωρός* '*ineptulum*' designat. — cf. Lobeck ad Phrynich. 299 et de tenore uu. *τήθαλλα μώραλλος* u. Goettling de acc. p. 187.

23 *σάνδαλον* Hemsterhusius, quem Pottius EF I 143 et Lobeckius PP. 92 secuntur, pro *σανίδαλον* dictum et a *σανίς σανίδος* deflexum esse censuit. quod qui probet *σανίδ-α-λο-ν* pro deminutiuo habeat, ut *assiculum* (*σανίς* est *assis*) pedibus subligatum significet. sed haec speciosa interpretatio uocibus non nullis Persicis maxime dubia fit, immo plane euertitur, dico سندل sandal *calceus* سندلك et سندله sandal-ak et sandal-ah *calceolus*, سندلى sandal-y *scabellum, in quo calceos relinquunt*, u. Vullersii Lex. Pers. II 330. — quam haec uocabula probabilem reddunt originem orientalem, ea confirmatur aliis non nullis rebus, in primis epitheto *Τυῤῥηνικός*, quod saepe uoci *σάνδαλον* additur, cf. Poll. VII 86 *Κρατῖνος ἐν τοῖς νόμοις* '*σανδάλια Τυῤῥηνικά*' 92 *Τυῤῥηνικά· τὸ κάττυμα ξύλινον τετράγωνον, οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι· σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπέδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν.* Hesych. *Τυῤῥηνικὰ σανδάλια· καττυμά τι ὑψηλὸν οὕτω καλεῖται.* Phot. *Τυῤῥηνικά σανδάλια, πολυτελῆ.* praeterea *σάνδαλα* apud antiquissimos poetas non commemorantur : quamquam Vossius in epistularum mythologicarum I 108 docens haud ita diu ante Xerxem sandalia in Graecia usurpari coepta esse fallitur, cum ea iam centum annis ante in usu fuisse ex reliquiis Sapphus carminum adpareat. cf. fragm. 98 Bergkii p. 690

Digitized by Google

θυρώρῳ πόδες ἑπτορόγυιοι, τὰ δὲ σάμβαλα πεμπεβόηα, πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν et fragm. 20 Bgk. p. 672 *πόδας δὲ ποίκιλος μάσλης ἐκάλυπτε, Λύδιον κάλον ἔργον*, quae uerba de sandalis intellegenda esse rectissime iam Pollux uidit VII 93, *τὰ μέντοι Τυῤῥηνικὰ εἴη ἂν ὁ Σαπφοῦς μάσθλης*.

Ὄκταλλος oculus, uox Boeotorum propria (cf. Arcad. 54, 4 Greg. Corinth. 580), hypocoristicum est uocabuli *ὄκκος· ὀφθαλμός* Hes. cuius K altera ex T primitiua adsimilata est. *τ* augmentum stirpis est, ut ष sh littera in Sanscrito अक्षि ak-sh-i, quod uocabulum Graeco *ὄκκος* respondet. cf. similem epenthesin in uoc. *κρύ–στ–αλλο–ς*. itaque conponere licet haec *ὄκ(τ)-αλλο-ς : ὄκ(κ)–ος* = Lat. *oc-ulus : *oc-us*, ut Graeco A Latinum V respondeat, sicuti in *ἰταλός uitulus* et similibus, de quibus supra p. 80 diximus. — de radice *οκ = οπ* (cf. *ὄπωπα, ὄψομαι*) u. Curtius KZ III 409. ex √*οπ* deminutiuum *ὄπ–τ–ι–λλο–ς* oritur, quod, si a uocali copulatiua discedis, plane illi *ὄκ–τ–α–λλο–ς* congruens est.

νεκύδαλος et *νεκύδαλλος nympha bombycis* a stirpe *νεκυ* (√*νεκ*) littera *δ* aucta (*a νέκυς νέκυδος*, inquit Lobeck PP. 95, *quod non lectum est*) quia inanimis esse uidetur. cf. *νέκ–υ–ς νεκυ–ία* : Curtius GrE I 131. forma deminutiua ex exilitate rei explicanda est.

Κωράλιον κωράλλιον κοράλλιον κουράλιον puellulus puellula, pupulus pupula deminutiuum est uocc. *κόρος* et *κόρη*. cf. tres Hesychii glossas insignes *κωράλιον· παιδάριον κόριον : δαγύς· κουράλλιον, νύμφη λευκόκηρος : γέλγια· πήνη σπάθαι κουράλια*. formae uariae deminutiui ad primitiuae uocis uicissitudines *κόρη κούρη κώρη* redeunt indeque facillime explicantur. praeter locos Hesychianos etiam apud Lucianum *κουράλιον* legitur, merc. cond. 1 et in Alciphronis epistularum I 39, ubi Megara quaedam Bacchidem inuitans scribit, *ὅπως δὲ ἥξεις φέρουσα κήτιον καὶ κοράλλιον καὶ τὸν Ἄδωνιν, ὃν νῦν περιψύχεις· μετὰ γὰρ τῶν ἐραστῶν κραιπαλήσομεν· κοράλλιον* enim h. l. *imagunculam Adonidis* significat, cf. Bastii ep. crit. 193. insuper hoc deminutiuum dupliciter deminuto *κωραλίσκος· μειράκιον* Hes., cf. Phot. p. 198, 15 *κωραλίσκος τὸ μειράκιον, Κρῆτες*,

Digitized by Google

et nomine conposito *κοραλλιοπλάστης* confirmatur, quo non tam is qui e coralio marino imagunculas elaborat, id quod Ruhnkenius censuit, designatur, quam is qui pupulas e cera seu argilla fingit, ut *κοροπλάθος* et *κοροπλάστης*, quae a primitiuo *κόρος* u. *κόρη* ueniunt.

24 *φυσαλίς φυσαλλίς bullula* deminutiuum uocis *φῦσα bulla.* non nulli, inter quos Pottius est EF I 217, satis speciose cum hac uoce Latinum *pûs-ula pus-t-ula* conparant, at graues dubitationes obstant. primum uocabuli initio pro Graeco *φ* Latinum F expectandum, deinde '*pusula*' et '*pustula*' cum Latinis *pûs put-eo pur-u-lentus* et cum Graecis *πύ-ον* uel *πῦ-ον* (cf. Lobeckii *ῥηματ.* 309) *πῦ-θω* et *πυός* uel *πῦος πυτία πῦριάτη*? (cf. Grimm. Thes. II 3, a quo AWeber KZ V 235 dissidet) et cum Sanscr. पुय् puj *putere* tam bene consentiunt ut uix ab eis disiungi possint. accedit ut uel exempla quae Forcellinus adfert ueri simillimum reddant uoci *pustulae* primitiuam uim *papulae pure repletae* infuisse, non '*bullae*'. — haec uero *puris* significatio nullo modo ab initio uocabulis Graecis *φῦσα φῦσαλλίς φῦσάω φύσημα φῦσητήρ* infuisse potest, cum *flandi* uis in his omnibus clarissima sit. cui igitur radici Graecum *φυσᾶν* tribuendum est? sequimur Iacobum Grimmium, qui in Thes. II 68 *φυσᾶν* pro *φλυσᾶν* dictum esse conicit, cui Germanorum uerbum *plâsan blâsen* respondeat. quae coniectura audax quidem sed fructuosissima si uera est, attribuendum uerbum *φυσᾶν* radici Graecae *φλυ*, quae simillimis significationibus utitur: *φλυ-κ-τί-ς, φλύ-κ-ταινα pustula papula, φλύ-ω turgere bullire scaturire, ἐκ-φλυνδ-άνομαι rumpi* (de ulceribus) *). — de formis Graecis cf. Curtius GrEt I 265. 266. — de L eiecto explicando Grimmius ad uerba *fugere* et *flec-t-ere* nos delegat, quorum hoc ex illo L et T litteris adsumptis ortum esse censet, cf. Thes. LG I 1814. similiter

---

*) Huic Graecae radici *φλυνδ* Sanscrita स्फुण्ट् sphuṇṭ, quae eandem atque Graeca significationem habet, respondet.

Digitized by Google

iam ante Grimmium Pott. EF I 236. de ecthlipsi liquidae post consonas in dialectis Germanicis cf. Woeste KZ III 80 IV 137. tamen negari non potest elisionem L litterae miram esse nec satis exemplis firmatam, si ab exemplis lambdacismi auxilio factis discedimus, supra p. 27. sicuti *φυσαλίς*, ita etiam *καυσ-αλίς· ὁ πυρετός* Hes. a **καῦσα* quodam et *καυχ-αλίς· ἡ φλύκταινα* Hes. a **καύχη pustula quae glorianti-bus et mentientibus enascitur*, u. Lobeck. PP. 97, deminutiue possunt intellegi.

25 *τρωξ-αλλ-ίς curculiunculus* deminutiuum uocabuli *τρώξ*, apud Plinium XXX 6, 16 *troxalis*. pro *τρωξαλλίς* expectanda erat forma *τρωγαλλίς*, cum stirps uocabuli *τρωγ* sit. *σ* additum dupliciter explicari licet, aut falso uocabulum a casu nominatiuo perfecto descendisse nec a stirpe, quo in errore interdum linguae in primis in deminutiuis formandis deprehenduntur, aut *σ* additum esse ad radicem corroborandam. quod si uerum est, hoc exemplum uocibus *taxillus paxillus* similibus aliquid lucis adferre possit. — *χρῦσ-αλλ-ίς* uel *χρυσαλίς, ἡ aureola 'nympha aurea papilionum' pupula* a *χρῦσ-ός*. — *σῦκ-ἄλίς ἴδος, ἡ* uel *συκαλλίς* a *σῦκον ficus* auicula, quae ficus comedere solet, quam eandem Latini quoque forma deminutiua *'ficedulam'* nominant. — *ἀστράγαλος* num deminutiuum sit nescio : non nulla suadere, plura tamen dissuadere uidentur : nec tamen certi quicquam de omni hac re adfirmari poterit, nisi antea de ratione quam formae *ἄστρις* et *ἄστριχος* ad *ἀστράγαλος* habeant, et de origine huius uocabuli, quod Lobeck PP. 92 et Bfy. WL I 670 cum *στρέφω στράγγω* cognatum censent, accurate et plene expositum erit. — *μαθαλίς, ἴδος* et *μασθαλλίς poculi genus* ab Eustathio a *μασθός* repetitum. apud Paphios poculum sinuosum seu uentriosum *μαστός* adpellabatur (Athen. XI p. 487 B), cuius deminutiuum *μαθαλίς* seu *μασθάλις* est. — *κορυδ-άλ-η κορυδ-αλλ-ίς κορυδ-αλ-ίς κορυδ-αλλ-ός κορυδαλός* deminutiua uocis *κορυδός alauda cristata*, cf. Doederl. de Syn. VI 86. — *κάρταλος κάρτ-αλλο-ς fiscella* gloss. Labb. 98 ab inusitato **κάρτος* deriuandum deminutiuae formationi fortasse ascri-

Digitized by Google

bendum est, cf. Latinum *crat-es* = *faschinen.* uox Graeca cum Sanscrita radice कृत् krt *findere secare* (= kart) cohaeret quia uimenta ex fissis ramusculis fiunt, cf. *cort-ic.* — *Μῦκ-άλη* nomen promontorii rectissime GCurtius GrEt I 131 interpretatur *rostellum schnäuzchen*, uocibus *μυκ-τήρ nasus μύξα mucus* et nominibus promontoriorum in *-naes* Scandinauicis conlatis.

26 *κερκιθαλίς*· *ἐρωδιός* Hesych. hanc uocem optime cum Latina *querquedula* coniunxit Scaliger ad Varron. IV p. 56 Bip. eius coniecturam probare ipsi experiamur. primum in Latino uocabulo QV Graeco K respondere, alibi quoque reperitur : neque quicquam miri habet, cum Latinum QV et cum C in lingua Latina ipsa commutetur et gutturali simplici cognatarum linguarum soleat opponi : cf. *Querquetulanus* ex *quercetum stercus* et *sterquilinium Aecetiai* pro *Aequitiai* Ritschl. de fict. litt. p. 17 *Mirqurius* = *Mercurius oquoltod* = *oculto quiris* = *curis cum* = *quum* cf. Lachm. ad Lucr. 220, *चत्वार् k'atvâr et lat. *quattuor,* कि ka et *que,* पञ्चन् pañk'an (cuius littera prima ex K orta est, Bopp. VglGr II² 73 Curtius KZ III 402) et *quinque,* शी çî *cubare* Gr. *κεῖ-μαι* Lat. *qui-e-s,* कलन kalana *(macula),* काल kâla *(niger)* Gr. *κελ-αινό-ς* et Lat. *s-qual-or,* लप् lap, cuius P ex K ortum est, Gr. *λακ* Lat. *loqu-or* : Curtius GrEt I 129, Gr. *κο-σκυλ-μάτια* Lat. *qui-squil-iae.*

Postquam uidimus stirpem utramque uoc. *κερκιθαλίς* et *querquedula* plane consentire, suffixa consideremus, quarum externa species quamquam eundum consensum aspectu primo prodere uidetur, tamen diligentiorem disputationem requirit. uocalis V copulatiua quidem loco Graecae A posita minime offendit, cf. supra p. 80, nec diuersa terminatio *ις* et *a* illum consensum dubium facit, u. quae p. 33 not. dixi, denique Graecum Θ in mediis uocabulis summo iure Latino D compensatur. at tamen non nulla obstant quo minus suffixum Graecum plane idem atque Latinum ducamus. primum praeter *querquedulam* conplura nomina auium in sermone Latino

Digitized by Google

reperiuntur item in *êdula* exeuntia, cf. *acrêdula ficêdula συκαλίς monêdula raucêdula* Diefenb. gloss. 485, quibus muris parui nomen *nîtedula* adiungendum est, quorum uocabulorum nullum in stirpe D consonantem habet, ut u. c. *mercedula*. nam a stirpibus *acri fico rauco* et ex uerbo *nîtendi* (nec tamen *nĭtendi*) illa deminutiua ueniunt. *monêdula* unde deriuandum inexploratum, de qua uoce uariae coniecturae in Vossii Etym. Lat. 326 propositae sunt. loco D illius non numquam consonantes T et C et R usurpatas esse Lachm. ad Lucr. 204 adnotat, u. c. in gloss. Labb. *ficecula* 74 et *fecetula* 73, apud Nonium p. 48, 20 274, 11 91, 4 *ficetula* et *querquetula*, in Asinaria Plautina III 3, 104 *monerula* leguntur. — rationem huius consonae, qualiscumque est, aliquam cognoscere equidem non possum, hoc solum certum illud *êd* cum *edendo* conecti non posse. falsa igitur Foerstemannus KZ III 44 coniecit uel ob *ê* productum illorum deminutiuorum, quod semel apud Iuuenalem XIV 9 in uoce *ficĕdula* correptum nisi ferendum censemus, Lachmanni coniectura *ficella* optima in promptu est. cf. Bentl. ad Hor. Ep. I 7, 29. sed fortasse uestigium popularis etymologiae, quam Foerstemannus adpellauit, deprehendimus in uocalis E hac correptione, quippe cum uulgo a ficis edendis auiculas illas nomen accepisse putarent. haec de uocabulorum illorum augmento *êd*, cuius uim nos non iam persentiscere possumus. conuertamur ad Graecum *κερκ–ιθ–αλίς*, quod similiter auctum et corroboratum esse uidetur. sicuti *κορυδαλλός* a *κορυδός χρυσαλλίς* a *χρυσός*, *αἰγιθαλλίς* ab *αἴγιθος*, de quo infra disputabimus, descendunt, ita *κερκιθαλλίς* ad **κέρκιθος* quoddam referendum est, quod quamquam non inuenitur, tamen per se nihil habet quo displiceat. sed etiam **κέρκιθος* paragoga esset uox neque nomen primitiuum; nam ut *ὅρμαθος* ab *ὅρμος ψάμαθος* a *ψάμμος*, *γύρ–γ–αθος corbis* a *γῦρος*, *Μίκυθος* a *μικκός*, cf. Lob. PP. 362. 366. 367, ita **κέρκιθος* nos ad magis primitiuum *κερκίς*, *ίδος* delegat, quod etsi uulgo pectinem textorium significat – et hanc quoque uim ex sono stridulo huc et illuc uecti radii textorii accepit — tamen auem quoque ualuisse

Digitized by Google

ex glossa hac Hesychiana *κερκίς· εἶδος ὄρνιθος* facile intellegimus. uidimus igitur utriusque deminutiui et Graeci et Latini stirpem augmento aliquo adfectam esse. nec tamen, quamquam Graecum *ιϑ* et Lat. *êd* similia sunt, utrumque pro uno eodemque uenditare ausim.

At quae est significatio et origo nominum *κερκιϑαλίς* et *querquedula*? Kuhnius KZ III 63 et Foerstemann ib. III 44 Sanscritum कृकण kṛkaṇa *perdix* et Germ. *krick-* seu *krückente* cum Latino *querquedula* conparant. Kuhnius insuper addit haec nomina ex imitatione clangoris rauci harum auium orta esse, ut Sansc. कृकवाकु kṛkavâku *gallus pauo*, u. B-R. SWB II 388 : कृक onomat. + वाकु a √ vak' *loqui*. et hoc quidem rectissimum uidebitur, dum modo demonstrare potuerimus eas aues quae uocabulis illis designantur clangore suo tam insignes esse ut inde adpellari possint. quod ut inuenerimus, etiam si aues diuersae eisdem illis seu cognatis uocabulis adpellantur, tamen facile hoc patiemur. illud autem, quod modo poscebamus, certissimum est facileque euinci potest. *querquedula* igitur qualis sit auis inquirendum est. — ex locis ueterum scriptorum, ubi querquedula nominatur, conligitur auem aquatilem esse ad anatum genus pertinentem. — cf. Varro RR III 3 III 11. 14 Colum. VIII 15, 1. quibuscum gloss. Labb. 153 *quercedulus βοσκάς* plane consentit. *βοσκάς* enim, ut Aristot. HA VIII 2 scribit, est auis marina seu palustris similis anati, minor tamen. u. Eustath. p. 978 5 quoque *ὥςπερ ἐκ τοῦ βόσκω βοσκάς-άδος ὄρνεον ἧττον, φασὶ, νήττης, οὕτω κτλ.* — contra altera gloss. dissentit, *querquedula ὄρτυξ*, unde nouum capimus argumentum rei a nobis iam supra adnotatae, nomen *querquedulae,* cum ad uocis et cantus proprietatem quandam spectet, aui cuique posse indi, cuius uox illo uocabulo imitatione exprimi *ὀνοματοποιητικῶς* posse uideatur, id quod nemo de *coturnicis* uoce in dubitationem uocabit. redeamus ad *querquedulam.* consideratis eis quae Varro Columella et glossa prior rettulerunt facile nobis persuadebimus *querquedulae* nomine id genus significatum

Digitized by Google

esse anatum quod Germanice *krickente krückente* nominatur, in quam cum sit anas minima, terminatio deminutiua optime quadrat quaeque facillime ὀνοματοποιητικῶς potuit adpellari, cum uox eius a rerum naturae peritis sonis *krek krek* seu *krik krik* exprimatur. cf. Lenzii Hist. nat. II 395. sic etiam *pica* Germanice *krikelster* propter uocem raucam nominatur Lenz. II 187. quibuscum uocabulis apte conparari possunt Germ. *kolkrabe golkrabe* et etymologia falsa corruptum *goldrabe*, quae a *golk-atzen ructare* descendunt : cf. Weigand DW I 450, et uox κερκολύρα qua Alcman usus est, cf. Zonaras p. 1190, fr. 141 Bgk. p. 659 : τὸ δὲ κερκολύρα ἠχητικὴ λύρα· τὸ γὰρ κρεκε κρεκε ἠχός ἐστι τῆς κιθάρας. simili modo fortasse etiam Sanscritum citharae nomen कर्करी karkarî ortum est — iam inquirendum quam auem Graecum κερκιθαλίς designet undeque significatum acceperit. de significatione plane uni loco illi Hesychii confidendum est, cum alibi uox κερκιθαλίς non legatur nec Hesychius ipse in glossa κερκίς plus quam illud εἶδος ὄρνιθος largiri uoluerit. *ardeam* igitur significat κερκιθαλίς. concedendum sensum utriusque uocis κερκιθαλίς et *querquedulae*, quantum iudicare possimus, quamquam formae bene consentiunt, multum inter se discrepare. nec consensum desideramus magno opere, dum modo uox ardeae talis sit, qualis apta haberi potuit ut inde auis nomen acciperet, id quod rerum naturae periti plane confirmant. cf. de ardearum, maxime de ardeae stellaris clangore rauco et acuto Lenzium l. c. II 316. 317. de stirpe onomatopoetica uocc. *querquedula* et κερκιθαλίς hae glossae Hesychii conferantur κερκάς· κρέξ τὸ ὄρνεον, κέρκαξ· ἱέραξ, κέρκνος· ἱέραξ ἢ ἀλεκτρυών, κέρκος· ἀλεκτρυών, quibus eis quae supra de amplificata stirpe κερκιθο dixi bene succurritur.

Lubet praecedentibus exemplis Hesychianis non nulla nomina auium aliarum subiungere, quae simili uocis imitatione formata sunt : κίρκος *accipiter* quod non nulli perperam cum κίρκος *circus circulus* conpararunt, huc spectat. uocem enim illius auis notis *gri gri* uel *kirk kirk* significant : Lenz. hist. nat. II 61. 62. quocum uocabulo, etiam si significationem

Digitized by Google

nominis spectas, artissime *κέρχνη falco* a *κέρχνω stridere tinnire* cohaeret. cf. *κέρχνη* = *tinnunculus* : *tinnio* = *pipiunculus habicht* Diefenb. gloss. 436 : *pipare*, quo uocabulo ab Auct. carm. Philom. 24 cantus *accipitris* significatur. — *κίκκος gallus κίκιῤῥος gallus*, Lat. *cucurrire* Auct. carm. Philom. 25. Sanscr. कुक्कुट kukkuṭa *gallus* B-R SWB II 305 Illyr. *kukurikati* Germ. *gick-el kikeriki*. — *γραύκαλος· ὄρνις τεφρός* Hes. *grac-ulus*, cf. *gracillo gackern*. aliter Lobeck PP. 92 nec tamen, opinor, rectius iudicauit. denique uocabulis onomatopoeticis illis *κερκίων auis quaedam* Ael. H. A. XVI 3 fortasse adnumeranda est, cuius apud Indos *κερκόρωνος* nomen fuisse dicitur Aeliano teste. si *κερκόρωνος* in linguam Sanscritam transcribimus, karkarâna-s euadit. hoc tamen non reperitur apud Indos. haud scio an Sanscritum कर्कराङ्ग karkarâṅga *auis quaedam* (cf. B-R SWB II 120), cuius nomen alterum कालकण्ठ kâlakaṇṭha (kâla *liuidus* + kaṇṭha *collum*) = *pauo gallus motacilla passer* fuit, nomen Indicum fuerit quod Aelianus respexit? karkarâṅga equidem explicauerim ex karkara cantum auis imitante et aṅga, cui lexicographi Petropolitani I 50 significationem *auis* uindicarunt. quae si recte disputata sunt, concedendum est uocem *κερκόρωνος* uoci *κορώνη cornix* aliquo modo se adsimilasse.

27 *Κοναλλίς*, ἡ nomen hetaerae? — *κραπαταλός κραπάταλλος* nomen nummi parui a Pherecrate Comico inuenti unde deriuandum sit non liquet. *σκυτάλη* deminutiuum u. *σκῦτ-ος pellis cutis* est *pellicula cuticula* h. e. *scidula corii lorum*. cf. Lat. *scut-ula*.

Τρόχμαλοι κυρίως λέγονται οἱ μικροὶ λίθοι, οἱ κάχληκες E. M. 770, 3 h. e. *lapilli fluuiorum calculi* a *τροχὸς orbis*. formam *τρόχαλος* Moschop. ad Hes. Opp. 514 *τρόχαλοι ἰδίως οἱ κόχλακες ἤγουν οἱ ποτάμιοι καὶ θαλάττιοι λίθοι*. *μ* uocis *τρόχμ-αλος* explicandum uidetur analogia, quam uocant, formarum *ὄμβριμος - ὄβριμος τύμπανον - τύπανον, πίμπλημι - πίπλημι, κύμβη-κύβη* : Lobeck PP. 298. — similiter a *κρόκη lapis ad maris oram iacens* deminutiuum *κροκάλη lapillus* ducitur.

Digitized by Google

Αἰγίθαλλος αἰγιθαλός parus deminutiuum est uocis *αἴγι-θος*. nos ut *κερκιθαλλίς* a **κέρκιθος* et *κερκίς* duximus, ita *αἰγίθαλλος* ad *αἴγιθος* et *αἰγίς* referimus. parus quidem auis uoce *αἴγιθος*, quae extat neque, ut **κέρκιθος*, a nobis ipsis formata est, non designatur sed alia nobis non satis certa auicula, cf. Cuvier ad HSteph. Thes. I 898. tamen notabile est re uera in Aeliani HN X 32, ubi u. Schneider. ap. Jacobs. adnot. II 359, auem *αἰγιθαλός* pro aue *αἴγιθος* nominari : quae res nostrae coniecturae mirum quantum fauet. — sed ut ut haec res se habet, nos dissensum illum significationis censemus minime obstare quo minus utrumque nomen *αἰγιθαλός* et *αἴγιθος* coniungamus. nam nomina illa duo ex radice orta sunt unde, cum sensum habeat latiorem et multa conplectentem, multis auibus nomina nasci potuerunt. Orion quidem in EtM 27, 53 ridicule errat de origine *αἴγι-θος* uocis. *αἴγισθος παρὰ τὸ θῶ τὸ θηλάζω καὶ τὸ αἴξ Αἴγιθος· καὶ πλεονασμῷ τοῦ σ Αἴγισθος. ἱστοροῦσι γὰρ αὐ-τὴν αἰγείῳ γάλακτι τροφῇ χρήσασθαι.* equidem *αἴγιθος* et **αἰγίς*, quam illius uocis formam puto simpliciorem esse, ab eadem radice duco unde *αἴξ = capra auis aquatilis, αἶγες· τὰ κύματα* Hes. cf. Artemid. II 12 *), et *αἰγίς = procella, ὀξεῖα πνοή* Hes. *φοβερά τις κίνησις ἀέρος* Eustath. ad Il. XV 318, *scutum Iouis* oriuntur. quae uocabula necesse est ut a radice declinentur motum quendam celerem ac uehementem exprimente.

Haec radix est, ut recte Boethlingkius et Rothius in thes. I 66 iudicarunt, √ ag, u. Lat. *agere*, in primis *agilis*, Graec. *ἄγειν* : de augmento I, quo radix *αγ* in Graecis formis quas attuli adfecta est cf. Curtius GrEt I 141 Benfey KZ VIII 75 **). hanc eandem radicem uindicamus etiam nomini

---

*) Graeco *αἴξ* Sanscritum अज ag'a *caper* अजा ag'â *capra* respondet. praeterea Indis अज एकपाद् ag'a êkapâd (= *ἀγὸς μονόπους*, *der einfüszige treiber*) 'deus ventorum' est.

**) Vocabula *ἀΐσσω* et *ἀϊκή*, quae radicem *ἀϊκ* produnt, quamquam

Digitized by Google

αἰγίθαλλος, quippe cum paros uolatu celeri et pernici insignes inde potissimum nomen accepisse probabile sit. nec aliunde auis *αἴγιθος* nomen deriuari potest.

Ex eadem radice unde *αἰγίθαλλος* uenit etiam nomen eius auis ductum est quam Latini *caprimulgum* Francogalli *tettechèvre* nos *ziegenmelker* nominamus, dico Graecum *αἰγοθήλας.* putauerim enim nomen Graecum praeclarum exemplum esse studii illius etymologici, quod omnibus temporibus inter omnes populos uiguit semperque uigebit. — homines enim ut uim cuiusque uocabuli persentiant, explicare et enodare student cur quaeque res sit ita adpellata. quod cum ob uarias causas, nisi antea penitus et diligenter inquisitum est, de uocabulis permultis fieri nequeat, haec quae non intellegi possunt, uarie adficiuntur et pertinaciter uexantur donec sensum quendam quamuis a ui primigenia alienissimum recipere uideantur. quo facto adquiescit etymologia illa popularis (*volksetymologie,* quo nomine bene Foerstemannus hanc rem adpellauit), etiam si ineptissima interdum peperit.

Caprimulgum igitur non a capris mulgendis, quae est absurdissima fabula, sed a celerrime uolando ab √ *αγ αιγ* nomen accepisse contendo ut plane potestatem eandem contineat atque nomen *pari.* a celeritate uero uolandi optime caprimulgum nominari posse testantur harum rerum periti: u. Lenzii HN II 319. Ponimus igitur formam genuinam auis quam caprimulgum nominamus fuisse *αἰγίθαλλος.* atque profecto hoc *αἰγίθαλλος* seu *αἰγιθαλός* ipsum interdum caprimulgum designat, cf. Oppian. Ixeut. III 20 Schol. ad Aristoph. Av. 889 Anon. de Avv. in Crameri Anecd. Par. I 27. — at illa forma integre seruata non est. cum enim origo huius nominis reconditior esset, quam quae primo obtutu quaerenti se offerret, sensum quendam clariorem Graeci uocabulo in-

---

sensus hoc quam maxime commendat, tamen illis uerbis cognata non sunt. cf. Pott. EF I 237 Benfey WL I 344. sed grammatici Graeci constanter *αἴξ* ab *ἀίσσω* deriuant neque alia, opinor, vulgaris fuit opinio, si qua extitit.

Digitized by Google

ferre temptabant. iam suffixum *θαλος* uocabulis *θηλή mamma* et *θηλάζω lactare lactere* cognatum putantes et adsimilantes '*caprarum mulctorem*' sibi finxerunt etymologi isti populares! sic ex *αἰγιθαλός* factum est *αἰγιθήλας* et *αἰγοθήλας*, quod eo facilius fieri potuit quo saepius *ᾰ* et *η* commutantur, *ξυᾰλη ζυήλη πέτᾰλος πέτηλος στραβᾰλός στράβηλος*, Lob. PP. 111. fortasse uestigium nominis incorrupti id accipi potest quod Antigonus Carystius aues *αἴγιθος* et *αἰγιθάλης* pro eadem aue habuit, Lob. PP. 365, quod idem Orion quoque in Etym. Magni loco, quem proxime excripsi, p. 27, 53, sine dubio fecit. — alibi quoque inuenimus meras terminationes et suffixa deriuata pro membro singulari conpositi uocabuli habita corrumpi. cf. Gallorum *planchette*, unde nos *blankscheit*, cuius uocabuli particula a Germanis falso intellecta indeque corrupta et ipsa (sicuti *θ-αλλος*) est terminatio deminutiua. Romanorum *phasianus* a Germanis ueteribus in *vashan pfasehan*, *pfasehuon* corruptum est : Weigand DW I 324, Förstemann KZ I 20. eodem errore ex ueterum Germanorum *wîʒagôn* a *wîʒ-ac sapiens* (ex *wîʒan animaduertere* + suffix. *ac* Grimm Gr. II 290) recentiores *wîssagen*, *weissagen* formarunt, quamquam toto coelo a uerbo *sagen* distat.

Ϝιταλός, Lat. *uitulus*, Sanscr. वत्स vat-sa, u. Ebel KZ IIII 339, cuius terminationem deminutiuam habuit Benfey WL I 303, *δορκαλίς, ίδος, ἡ* a *δόρκη capra, πάρδαλις* a *παρδος*; *ὀρταλίς, ίδος, ἡ* = *νεοσσός pullus* (a radice *ὀρ*, unde *ὄρ-νις* quoque manat cf. Ebel KZ V 66) *δαμάλης, ὁ iuuencus*, fem. *δαμαλίς δαμάλη iuuenca δάμαλος uitulus*, Lat. *damalio* : u. Lamprid. Alex. Sev. 22 *iussit nequis suminatam occideret nequis lactantem nequis uaccam nequis damalionem*, u. supra nr. 27 p. 52. his omnibus animalium nominibus, quibus pulli designantur, uim aliquam deminutiuam inesse satis manifestum est. ultimo loco notabile deminutiuum nominis Herculis adferamus, quod suffixo *αλο* formatum est. Sophron enim Siculorum sermone populari usus filium Alcmenes *Ἡρύκαλον* hypocoristicos adpellauit. u. hanc Hesychii glossam *Ἡρύκαλον· τὸν Ἡρακλέα, Σώφρων, ὑποκοριστικῶς*, quacum

Digitized by Google

coniungas hanc alteram *Ἡράκαλον· τὸν Ἡρακλέα.* de ratione huius formae praeter suffixum *αλο*, quod certum est, non plane liquet. fortasse quispiam illas formas duxerit pro primitiua forma nominis mutilati *Ἥρυλλος*, ex *Ἡρακ-αλος* enim *Ἥρακλος* et *Ἥραλλος* et propter L sequens *Ἥρῦλλος* factum esse. sed haec quamuis speciosissima explicatio uereor ut diligentius inquirentibus probetur. cf. supra p. 74.

Haec fere habui quae de ALO deminutiuo suffixo sermonis Graeci dicerem. de cognatis linguis adnotandum est nullam earum suffixum LO cui A uocalis copulatiua praecedat seruasse ad deminutiua formanda, si a dialecti Germanicae comitatus Tyrolensis proprietate quadam (*weibal dierndal buebal taibal* : Grimmii gr. III 673. 674) discedimus.

Digitized by Google

III

DE DEMINVTIVIS IN XILLO EXEVNTIBVS.

(cf. pag. 43 nr. 17.)

In lingua Latina non nulla deminutiua in XILLO desinunt, de quorum formatione notabili iam multi grammatici et ueteres et recentiores disputarunt. nomina quae in disceptationem uocantur sunt haec, *axilla Axilla auxilla taxillus paxillus pauxillum uexillum:* his adiungi solent quorum forma paullum discrepat *quasillus pistillum pastillus tonsillae.* hoc facile intellegitur ex uocabulis, quae primitiua habenda sunt *ala Ala aula talus palus paulum uelum qualus pilum panis toles,* deminutiua *axilla taxillus* declinari non posse, nisi legibus quas supra ipsi de formatione deminutiua constituimus quodam modo uiolatis. Priscianus quidem p. 555, quasi similia maxime uulgaria essent, *L* inquit *transit in X ut 'paulum pauxillum mala maxilla uelum uexillum'.* tamen p. 614 idem rationem inauditae illius X explicare studet, *'paulus paululus' et ex hoc 'pauxillus' et 'pauxillulus', similiter 'uelum' 'uexillum' facit deminutiuum et puto ideo haec adsumpsisse X quia haec in LVS uel in LA uel in LVM desinentium primitiuorum, facientium deminutiua, paenultimam natura longam habent 'paulum pauxillum uelum uexillum'.* quae item nihili aestimanda sunt. multo melius et sanius Cicero orat. 45 § 153 iudicauit breuiores illas formas ex longioribus quibusdam contractas esse, *quin etiam uerba saepe contrahuntur non usus causa sed aurium. quo modo enim uester 'Axilla' 'Ala' factus est nisi fuga uastioris litterae? quam litteram etiam 'maxillis' et 'taxillis' et 'uexillo' et 'paxillo' consuetudo elegans Latini sermonis euellit.* Tullium secuntur bono iudicio usi Caesar Scaliger de caus.

Digitized by Google

LL. I XXXI Vossius in Etym. Lat. 305. 544 Perizonius ad Sanctii Mineru. I 80 edit. Baueri, qui nequiquam uana obloquitur, Schneider. GrLat. II 483 — 485. quaenam igitur forma fuit unde uocabula *ala mala* cetera contracta sint? et qualis eius stirps extitit? num desiuit ea in X litteram? minime! huius sententiae nullum argumentum reperiri potest. at X littera conposita est ex gutturali et sibilante elemento. quaeramus igitur num alterutrum stirpibus illis uindicare possimus. et sibilans quidem elementum illis stirpibus nullo modo attribui potest, contra gutturalis littera eis inest, quam explicare in aliis difficilius, facilius in aliis est. perlustremus igitur exempla.

Pâlus sine dubio a radice *păg* deriuandum est ut *pâlus* pro '*păgulus*' dictum sit. cf. Doederlinium de syn. VI 254, et Scr. पश् paç *ligare* Graec. *παγ : ἐ–πάγ–ην* Lat. *pango* ex *păg-o*. V littera ante L extrusa ortum est *păglus*, unde per syncopen gutturalis litterae *pâlus* factum est : cuius prior syllaba ad positionem sublatam conpensandam producta est, ut saepissime fit gutturali littera amissa, *lâtro* pro *lăcitro* *mâior* ex *măgior* *pulêium* ex *pulĕgium* *Sēia* ex *Segia*, u. Fleckeisenum z. krit. d. altl. d. 7 Aufrecht KZ I 230 Ebel ib. IIII 319 Corssen LA I 130. eadem productio in sequentibus quoque exemplis locum habet. — *uelum* = *uĕhulum* *uĕh-lum* *uêlum* deriuatur a *uĕhendo*, Pott. EF II 281. at quispiam obiciat H litteram solam esse aspirationem nec cum S efficere posse consonantem duplicem X.

Huic respondendum H litterae uerborum *uehendi* et *trahendi* gutturale quiddam infuisse.

Itaque a *traho trah-si* = *traxi* et a *ueho*, de quo disputamus, *ueh-si* = *uexi*, cf. Corssen LA I 47 Benary RLautl. I 131. — simillime res de nomine proprio *Ala* et *Axilla* se habet. pro *Ala* enim forma usitatior *Ahala* existit, unde *Ah-la Ala* contractum est. nominis adpellatiui *ala axilla* *)

---

*) auxillae *μικρόπτερα, ὡς Βάῤῥων* (= Varro) gloss. Labb. 20.

Digitized by Google

gutturalis optime glossa Hesychii ἀκχός· ὦμος et Germ. *ahsala* probatur, quod cum uu. *ahsa axis* ἄξων Sanscr. अक्ष ak-sh-a (*axis currus rota* B-RSW I 13) a √ *ag* (Sanscr. अज् ag′) deriuatur. est igitur *ahsala* ʻpars corporis in qua brachium circumagiturʼ. cf. Grimmii thes. I 163 Schneider GrLat. II 485.

Venimus ad *paulum* et *pauxillum*. si *paucus* conparamus, de gutturali dubitari nequit, quamquam C non est radicis, quae *pau* syllaba continetur. cf. *παῦ-ρο-ς pau-per* Gothorum *fav-ai* : Curtius KZ III 416 GrEt. I 236. sed radix gutturali littera aucta etiam in Germanorum ueterum *fôh* pl. *fôhê* reperitur. certum non est num *paulum* pro *pauc-ulum* sit an ex radice nuda per LO suffixum ortum sit : tamen omnibus consideratis examinatisque rebus prior sententia magis mihi arridet, u. Corssen. LA I 83. — iam difficiliora adeamus, primum *olla aula* et *auxilla*. Pottius EF II 280 ab उख ukha *situla patera* B-RSW I 867 originem huius uocis repetit ut *aula* pro *ŭc-ula* sit, sane non inprobabiliter. uiolentius Lobeckius PP. 151 ab *orca* (*ὕρχη urceus*) extrito rho factum esse *ocilla* uel *auxilla* censet. cuius sententia quamuis inprobabilis sit, tamen minus displicet, opinor, quam Lachmanni ad Lucret. p. 204, qui statuit, *ollam* seu *aulam* paruam *horiam* siue *oriam σκάφην* ab *hauriendo* esse. sequitur *mâla* et *maxilla*. haec non, ut uulgo et Pottio quoque uidetur, a radice *mand*, sed a radice *mak* deriuanda sunt, quae in Graeco *μάσσω* pro *μακ-jω depsere subigere* (cf. *μάγ-μα*, alia u. apud Curtium GrEt. I 289) adparet. est igitur ʻ*măc-ula*ʼ id quod cibos depsit ac subigit *) — hoc *mak* Indoeuropaeum radici Sanscritae मच् mak′ *conterere commolere* cognatum est, cf. *mandibulum* a *mandendo*, Anglosaxonum *ceace maxilla* Anglorum *cheek* a *chew* (mandere) et Germanorum *backe* pro *bracke* a frangendo (*brëchan prëhhan*) : cf.

---

*) Dum plagulas corrigo, uideo Doederlinium de syn. VI 208 nobiscum consentire.

Digitized by Google

Weigand DW I 92 Grimm. Thes. II 290. ex *măc-ula mac-la mâla.* Fortasse forma huius radicis genuina ex duabus solis litteris *ma* constitit, unde consonantibus paragogis accedentibus forma gutturalis *mak*, de quo proxime diximus, forma sibilans in Graecorum *μᾰσ–ά–ομαι* (mandere) et *μάσ–ταξ* *(quo manditur* h. e. *os)* denique forma nasalis et dentalis in Romanorum *mando* extiterunt, cf. *mand : ma = tend : ta.* Benary Röm. Lautl. I 287 significat se formam *maxilla* per transitum quendam T litterae ante S in C litteram factum explicare ut formam *nixus* quoque. quamquam de sententia uiri docti certo iudicari nequit, cum quae argumenta illius litterarum adfectus dare loco citato promisit non dum dederit, tamen uix opinor argumentis illis nostram interpretationem euerti posse, praesertim cum sine ulla dubitatione forma *nixus* (pro *nit-sus*?) perperam a Benario explicata sit. gutturalis enim huius uocabuli optime explicatur, si cum Fleckeiseno in Mus. Rhen. VIII 223 pro *nîtor* formam antiquiorem *gnictor gnicitor* (cf. Müller ad Fest. p. 96, 11) adgnoscimus.

Tâlus et *taxillus* unde descendant perobscurum est. Vossius in Etymol. Lat. p. 510 cum *tago = tango* coniunxit, sed qua ratione *tali* a *tangendo* nomen acceperint equidem percipere non possum. dubitanter ipse temptaui *tâlum* ex radice Indoeuropaea *tak*, cuius de usu latissimo Curtium GrEt. I 187 adeas, deriuare. sed haec quoque explicatio multis difficultatibus laborat. nihilo minus tamen mihi persuasissimum est stirpem uocis *tâlus* in K exire.

Restat ut pauca de illis uocabulis disseramus, quae cum praecedentibus similitudinem quandam habere uidentur, dico *panis pastillus pîlum pistillus qualus quasillus toles tonsillae.* et *pîlum* et *pastillus* facilem admittunt explicationem. *pîlum* enim descendit a rad. पिष् pish *conterere commolere*, ut pro *pĭs-ulum* sit uel T inserto pro *pĭs-t-ulum*, id quod *pis-t-illus* commendare uidetur. — aliter *panis* et *pastillus.* *pastillus*

Digitized by Google

enim ex 'radice aucta' *pat* *) deflexum ante T suffixi T radicis in S litteram mutat, sicuti ex eadem radice *pas-tor* pro *pat-tor* ἄ-πασ-τος pro ἄ-πατ-τος oriuntur. similiter mutantur *equ-it-ter* in *equester* *ped-it-ter* in *pedester* : Corssen KZ III 253. — illud *pas-tillus* deminutiuum est uocabuli cuiusdam **pas-tus* uel, quod praefero, **pas-tum*, quo redit '*hoc pastillum*', quo Festo auctore in sacris *libi genus rotundi*, Varrone contra teste apud Charisium p. 24 *panis paruus* designatur. praeterea huc fortasse παστόν· ἔτνος ἀλφίτοις μεμιγμένον Hes. et πάστη *pasta*, quod uulgo ad πάσσω *inspergere* referunt, spectant. — ex praecedentibus adparet, *pastillum* tantum modo, si sensum et radicem respicis, deminutiuum esse *panis*, praeterea autem huic cum illo nihil esse commune, cum *pânis* ab integra radice *pâ* suffixo *ni* formatum sit, cf. Messap. πανός. — *quâlus* et *quăsillus* unde ueniant dubium est. tamen eis quae proxime disseruimus demonstratur nos ut stirpem cognoscamus non a forma *quâlus* proficisci posse, sed a *quăsillus*, unde *quâlus* ex *qua-s-ulus* *quaslus* contrahitur, cf. Corssen. LA I 115. manifestum igitur est eos falli, qui *quâlus* cum Graeco κάλαθος conparant, ut Vossius in Etym. Lat. 425. melius Doederlinius de syn. VI 295, cum Graecum Θ sibilanti litterae cognata sit, nos ad glossam Hesychii κάθος· σπυρίς delegat. — pro *quasillum* legitur interdum *quaxillum*, ut apud Priscianum p. 618 in codice Sangallensi, cuius lectionem Zeuszius GC 282 adnotauit. praeterea in Diefenbachii gloss. p. 487 *quaxillum quaxillus*. quae forma secundum analogiam fallacem uu. *taxillus axilla* facta est. ultimo loco tractamus uocabula *toles* et *tonsillae*. Festus p. 154 '*toles*' *inquit tumor faucium, quae per deminutionem dicuntur* '*tonsillae*' et Isidor. XI 1, 57 '*toles*' *lingua Gallica, quas uulgo per deminutionem toxillas* (al. *tusillas*). — Isidorum uoci huic Celticam originem ascribere nos non inpedit quo minus

---

*) quae in πατ-έομαι Graecorum, in Slouenorum ueterum pit-ati *nutrire*, u. Schleicher. KSlav. 119, et in Indorum पितु pitu *cibus* adparet.

Digitized by Google

contendamus radicem illius uocabuli esse √ *tu* Scr. तु *crescere*, quae sicuti in uocabulis aliis aliis consonantibus paragogis augetur, cf. *tu-b-er tu-m-or*, *τύ-λ-ος τύ-λη* Slou. *tu-kŭ (adeps)*, Lit. *tau-kas tu-k-lus (pinguis)*, ita in nostro uocabulo incrementum litterae sibilantis capit. orta igitur est a √ *tu* uox **tu-s-ulae*, unde **tus-lae* **tullae* ueniunt seu uocali mutata *tollae*, quae forma reperitur. alteram L per eundem errorem quem etiam in *Messala paulum aula* deprehendimus, Lachm. ad Lucr. 204, amittunt et plerumque in aliam declinationem declinantur formae *tôlae tolia tules* gloss. Labb. 144 *tôles*. ex forma primitiua *tusulae* suffixo *ulo* duplicato, cf. supra p. 42 nr. 17, nullo negotio et *tusillae*, quod et in gloss. Labb. 144 et Isidori loco citato legitur, et littera nasali corroborata forma *tonsillae* ueniunt. forma *toxillae* ratione caret, u. quae modo de u. *quaxillus* dixi.

Postquam in praecedentibus demonstrauimus radicibus uocabulorum *axilla maxilla uuxilla Axilla taxillus paxillus pauxillus uexillum* inesse litteram gutturalem, prius quidem elementum X litterae satis explicatum est. quo modo uero posterius eius elementum quod sibilans sit necesse est, enodandum? hoc cum nec radici nec suffixo possit adnumerari, ut ipsi uidimus, unum solum est quod respondere possumus: litteram S insertam esse. — at quo modo epenthesin hanc probamus? — de uu. *taxillus* et *axilla* quidem minus dubii sumus qua ratione explicanda sint, cum S littera illa qua egemus in cognatis quoque linguis adpareat. radix *tak* enim, ad quam supra uocem *taxilli* rettulimus, in Sanscrito तक्षन् tak-sh-an *faber* ac तक्ष् tak-sh *fabricari* *) sibilante littera aucta est. immo uero in ipso Latino *tex-o* pro *tec-s-o tex-tura* neque aliter in Germanis *dĕh-s-a dih-s-el* S illud reperitur. — similia adparent, si *axillam* consideramus. nam et in Sanscr. अक्ष ak-sh-a et in Graeco *ἄξων* et in Germ. *ah-sa* et

*) Sanscritum क्ष ksh accuratissime Graeco et Latino X exprimitur.

ahsala et in Lat. *axis* sibilans littera extat. — fortasse *ἄσιλλα* quoque apud Hesych. *φέρνια, ἃς ἔνιοι ἀσίλλας τὰς ἐκ σχοινίων πλεκομένας καὶ ἰχθυηρὰ ἀγγεῖα, οἷον σπυρίδια*, huc referendum, quod uocabulum Lobeckius PP. 150 bene pro *ἄξιλλα* successisse conicit.

Haec de sibilante littera uu. *taxillus* et *axilla*, quae etiam in cognatis linguis reperitur. de ceteris uocibus ope hac linguarum Indoeuropaearum destituti sumus. censemus igitur Latinum sermonem arbitrio suo post gutturales illarum formarum S litteram genuisse. eandem S statuo additam esse in uocabulis *lixulae semilixulae* a radice *lic* (cf. Graec. *λόξος* Doederlin. de syn. VI 200) et in u. *fixulae*, quod Festus *fibulis* explicat, a rad. *fig*. cf. Perizon. ad Sanct. Min. I 81. praeterea Schneider LGr. II 478 addit *secus* et *sexus*, in quo S post C insertum sit, fortasse recte. neque haec epenthesis caret ratione et analogia quam uocant grammatica. gutturales enim prae aliis consonantibus S litteram sibi adiunxerunt. supra p. 50 iam adnotaui ante gutturales saepissime sibilantes inseri litteras. praeterea notissimum est in linguis non nullis, ut in Slauicis et Romanis saepissime litteras gutturales emollitas esse in palatales, quarum alteram partem esse sibilantem manifestum est. itaque I. Grimmius Thes. LG I 789 recte sibilantem litteram uu. अक्षि ak-sh-i *ὄκ-σ-ε* = *ὄσσε* cum palatali u. Slau. *oc̓e* = *otsche* ab *oko* deriuati conparat. — his omnibus perpensis et consideratis probabile est formas primitiuas uocabulorum *mâla aula âla tâlus pâlus paulum uêlum* non, id quod supra statuimus, *mac-ula pac-ulus* sed potius *măc-s-ula ŭc-s-ula ăc-s-ula tăc-s-ulus păc-s-ulus pauc-s-ulum uĕh-s-ulum* fuisse. X horum uocabulorum elisum est, ut in uu. *têla* pro *tex-ula* et *sub-tê-men* ex *sub-tex-men*. fortasse X illa prius quam plane abiecta est, aliquamdiu in S emollita est. u. Corssen. LA I 125. hoc enim in non nullis uocabulis animaduertimus *ses-centi Ses-tius praetestati sescuplus sesquipes mers* = *merx pausillum* = *pauxillum*, u. Ritschel. in Mus. Rhen. X 455. elisa est in his *sedecim seni semestris seuir seiugis Sedigitus*.

Digitized by Google

Ex *maxula uexulum paxulus,* quae ut *tegulum cingulum speculum* formata deminutiua non fuerunt, *ulo* deminutiuo addito *maxul-ula uexul-ulu-m* et inde secundum nr. 17 p. 42 deminutiua *maxilla auxilla axilla Axilla taxillus paxillus uexillum pauxillus* facta sunt.

Digitized by Google

FORMIS G. KELLERI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google